A. M. MICHELETTI

# DE
# INSTITUTIONE CLERICORUM
IN
# SACRIS SEMINARIIS

IN DECRETUM ET NORMAS
S. C. EPISCOPORUM ET REGULARIUM DIE XVIII IAN. 1908 DATUM
COMMENTARIUM
SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO
PIO PP. X
QUAM HUMILLIME DICATUM

ALMA COLLEGE
348.7442
LIBRARY
M582
Alma, California

CUM APPROBATIONE R.MI S. P. A. MAGISTRI

VAENIT:

FRIBURGI BRISGOVIAE — VINDOBONAE
ARGENTORATI — MONACHI
S. LUDOVICI AMERICAE
apud
B. HERDER
Typograph. Edit. Pontific.

ROMAE — RATISBONAE
NEO-EBORACI — CINCINNATI
apud
F. PUSTET
Pontificalem Bibliopolam

ALIASQUE PRAECIPUAS DOMUS LIBRARIAS.

26500

OMNIA IURA VINDICABUNTUR.

---

*Imprimatur.* P. Albertus Lepidi, *O. P. S. P. A. M.*
*Imprimatur.* Iosephus Ceppetelli, *Arch. Myren Vicesgerens*

PIO · X · PONT · MAX ·

SACRORVM · SEMINARIORVM

INSTAVRATORI · AC · TVTORI

ANDREAS · MICHELETTI

NATALI · QVINQVAGESIMO · SACERDOTII · EIVS

PIETATIS · ET · OBSERVANTIAE

TESTIMONIVM ·

# PRAEFATIO

Quum ex omnium sententia permagni sit ponderis ac momenti decretum a S. C. Episcoporum ac Regularium latum de disciplina in sacris Seminariis instauranda, peropportune quidem a nobis fieri existimabitur si, votis etiam complurium illustrium virorum obsecundantes, normam eo propositam brevibus commentariis illustremus. Diu profecto ancipites haesimus num omnia et singula praecepta quibus decretum illud constat explicaremus, an potius quae praecipua in eo sunt clericalis institutionis documenta ad unius principii normam redigeremus, ex quo cetera quotquot sunt aestimarentur. Hoc alterum, brevitati, perspicuitati, ac utilitati praesertim rerum studentes demum praetulimus; nam animo reputantes nostro ad illud maxime sacra Seminaria condita esse, ut vere sancti in iis Dei sacerdotes efficiantur, quae ad institutionem clericorum spiritualem pertinent, praesertim collegimus ac tradidimus, eo tamen consilio ut cetera omnia quibus rei litterariae incrementum, disciplinae ordo, ac etiam rei familiaris commoda continentur, ex huius propositi utilitate expenderentur. Qua ratione hoc etiam ultro tulimus, ut veluti absolutam tractationem de sacris Seminariis moderandis ac regendis opusculo nostro exhiberi potuerit, quam haud inutilem fore Moderatoribus sacris ac Institutoribus confidimus. Ut autem commodum hoc non tantum italica Seminaria sed exterarum quoque gentium Instituta experirentur, ita doctrinas ac praecepta proposuimus ut his etiam opportune prospicerent.

Res ipsa postulare videbatur ut quae hoc volumine continentur praecepta e sacris praesertim magistris derivarentur; et, quamvis quae a prudentioribus profanis scriptoribus de adolescentia recte instituenda traduntur minime neglexerimus, maxime tamen haec nostra e sacris locis hausimus. Ita quidem ut, persequentes tamquam tutissimam normam laudatum decretum S. C. EE. et RR. auctoritate editum, quae in ipso sapientissime praescripta sunt, cum sacris canonibus [praesertim Conc. Tridentini] ac cum documentis vere aureis a S. Carolo Borromaeo traditis contulerimus, vim legis etiam explanantes ex nobilissimis litteris quas in rem scripsere Leo f. r. XIII ac SS. D. N. Pius X. — Cui amplissimas grates habemus atque ex corde heic profitemur quod benigne indulserit ut hoc sollertiae nostrae tenue testimonium augusto Eius Nomine decoraremus.

Utinam [quod unum spectamus] in clericalis institutionis bonum ac incrementum haec nostra studia cedant, atque illud quod in primis habemus votis tandem omnium bonorum largitor Deus concedat, ut videlicet Ecclesia sancta eius in filiis suis amplissime gratuletur, ac quos e sacris viretis fructus optat, uberrime percipiens, laetificetur in his qui adolescunt in circuitu eius tamquam novellae olivarum!

Dabam in Urbe in Festo Pentecostes D. N. J. C.

A. Micheletti.

# BIBLIOGRAPHIA

Brevitati studentes ab Auctoribus per librum nostrum afferendis abstinuimus. Lector vero utiliter consulere potest qui sequuntur: Anonymus, *Il Direttore spirituale dei Seminarii secondo lo spirito di S. Carlo Borromeo*, Venezia, 1747 — Aurificus, *Examen ordinandorum*, Venet. 1570 — Id., *De dignitate, vita et moribus clericorum*, ibid. — Brendel, *Der clericale Geist*, Bamberg 1812 — Cecconi, *Istituzione dei Seminarii*, Roma 1766 — De Giovani, *La storia dei Seminarii*, Roma 1747 — Dieckhoff, *Beruf und Vorbereitung zum geistlichen Stande*, Paderboor 1859 — De Vita, *Quindici ragionamenti fatti nel Seminario di Benevento*, Napoli 1757 — Habrich, *Paedagogische Psychologie*, Munchen 1905 — Holzhauzer, *Opuscula ecclesiastica*, Parisiis 1861 — Krier, *Der Beruf*, Freiburg 1890 — Kugler, *Der Priester nach dem Geist der Kirche*, Regensburg 1886 — Liberman, *Das Ideal des Priestertums*, Paderboor 1893 — Lorinser, *Geist und Beruf des katolischen Priestertums*, Regensburg 1858 — Mercier, *A mes Seminaristes*, Bruxelles 1908 — Molina, *Instructio sacerdotum*, Colon. Agripp. 1712 Morandi, *Conferenze ai chierici del Seminario romano*, Roma 1901 — Muszynscki, *Die Temperamente. Ihre psychologisch begründete Erkenntnis und paedagogische Behandlung*, Paderboor 1907 — S. Petrus Damiani, *De Fuga dignitatis* — Petrus Blessensis, *De disciplina Ecclesiasticorum* — Palomeque *De clericorum electione optima educatione et institutione*. Venetiis 1616 — Perrot, *Der Priesteramts kandidat*, Eiusialden 1868 — Ratte, *Ascetik für Kleriker*, Luzenburg 1873 — Salotti, *Il direttore spirituale nei Seminarii*, Roma 1906 — Sardi, *Della Vocazione sacerdotale*, Roma 1901 — Schlor, *Der Kericker in der Einsamheit*, Graz 1844 — Id., *Clericus orans atque meditans*, Graccii 1883 — Sckevichavius, *De Ecclesiasticorum vita*, Taurini 1878 — Sailer, *Neue Beiträge zur Bildung der Geistlichen*, Munchen 1809 — Swerdling, *Abhandung über die Bildung des jungen Klerus und Erteilung der Weihen*, Vien 1784 — Sevoy, *Geist der Kircke*, Regensburg 1841 — Sulzer, *Fünf Briefe an seiner geistlichen Sohn bei Eintritt in das Seminar*, Freiburg 1824 — Tronson, *Manuel du Seminariste*, Lyon 1832, ecc.

*N. B.* — *Textum normarum S. C. EE. et RR. damus iuxta versionem latinam quae exstat in lib. per* « Acta Pontificia ac SS. Cong. Romanarum » *Romae, Pustet, 1908; fascic. martii.*

# PROLEGOMENA HISTORICA

Quae a S. C. EE. et RR. nuperrime constituta est feliciter Seminariis italicis disciplinae norma tanti nostrorum temporum memoriam historiamque interest, tanta vi et efficacitate saeculorum quae praecesserunt acta et instituta in Seminariorum sacrorum bonum absolvit ut litteram illius commentaturis veluti officio sit tum eas recolere insignes industrias quibus continuo materna Ecclesiae cura eadem Seminaria fovit [quippe quibus veluti coronam et fastigium hodiernum decretum imponat], tum quae huius normae species et indoles sit paucis saltem commonstrare [1].

---

Summae rerum. — I. Ecclesiam numquam clericorum institutioni defecisse. — II. Pii IV in sacra Seminaria studia. — III. Pii V ad rem instituta. — IV. Gregorius XIII clericalis institutionis instaurator et Pater. — V. Syxti V benemerentiae. — VI. Clementis VIII constitutiones. — VII. Paulus V et s. Seminaria. — VIII. Quanta Urbanus VIII condiderit. — IX. Innocentii X liberalitas in s. Seminaria. — X. Innocentii XI Academia Ecclesiastica. — XI. Quae scripserit gesserit Clemens XI in Seminariorum bonum. — XII. Benedicti XIII consilia et opera. — XIII. Quorum Clemens XII auctor fuerit. — XIV. Benedicti XIV de Seminariis encyclicae. — XV. Pius VI Seminariorum defensor. — XVI. Pius VII ecclesiasticorum Institutorum restitutor. — XVII. Leo XII operam Praedecessoris sui complet. — XVIII. Pii IX paternae curae de Seminariis. — XIX. Leonis XIII in rem studia nobilissima. — XX. Pii X de clericali

[1] Cfr. Siebengarten, *Schriften und Einrichtungen zur Bildung der Geistlichen*, Pars I; Poitan, *De Seminario Clericorum*. Pars. I, Sect. I, Cap. V; Theiner, *Il Seminario Ecclesiastico*, Parte I, Epoc. I, ecc.

institutione merita amplissima recensentur. — XXI. Huius normae notae singulares. — XXII. De ceteris disciplinae normis hucusque usitatis. — XXIII. Conclusio.

I. — Ambiget nemo Ecclesiam semper summa ope connisam fuisse animoque et labore ab ipsis apostolicis exordiis idem maxime contendisse ut vere sanctos sibi sacerdotes efficeret et ad *omne opus bonum instructos* [1]. At vero idipsum fatentur omnes praeclariora ac luculentiora huius curae studiique specimina exinde maxime enituisse quo a SS. Tridentina Synodo [2] decretum fuit de sacris Seminariis erigendis, conservandis amplificandisque, sapientissimo sane consilio atque rei christianae restituendae efficacissimo. Quae tunc in rem constituta sunt opportuniore loco infra dicemus: in praesenti vero id tantum adnitemur ut quam brevissime quae a Summis Pontificibus acta fuere ad vota Patrum Tridentinorum eventus ubertate perficienda, prout historiae ratio et methodus est, ita colligamus tradamusque.

II. — Pius PP. IV [1559-1565] libentissimo animo suscipiens vota quae Tridentina Synodus per Card. S. Carolum Borromaeum illi obtulerat [3], quosdam e purpuratis Patribus selegit in peculiare Consilium quod summopere advigilaret ut decreto synodali de sacris seminariis omnimoda observantia adhiberetur. Idem ipse [die 14 Aprilis 1564] constituit ut Romae primum ex sacris seminariis excitaretur ex eo tempore romani nomine praefulgens, idque sequenti anno feliciter effectum sortitum est, quum nempe [mense februario] aedes Columnensium ad SS. XII. Apostolorum eidem seminario patefactae sunt. Hoc autem Seminarium quatuor Pontifices aluit, supra nonaginta Patres purpuratos, itemque pluries centenos Archiepiscopos et Episcopos, qui doctrina, pietate ceterisque virtutibus splendidum Ecclesiae Dei ornamentum addidere. — Nec multis post annis novum et luculentum curae studiique sui in sacra Seminaria idem Summus hic Pontifex edidit specimen, quum videlicet Moguntini Seminarii seu Bonifaciani [prout

[1] II *Timoth*, III, 17.
[2] Sess. XXIII, Cap. 18, *De Reformat.*
[3] *Epistol.* die XXIII Juli 1563 data.

ex S. Bonifacio Germaniae apostolo nomen et auctoritatem sibi adscivit] partes valide suscepit, atque litteris in forma Brevis [1] strenua defensione restituit [2].

III. — Pius V [1566-1572] non minus Apostolicam Cathedram quam curam in ss. Seminaria ab illo excepit, idque XXII litteris ad epos. Corduben. [3], Bergomen. [4], Casalen. [5], Comen. [6], Imolan. [7], Messanen. [8], Nucerin. [9], Papien. [10], Polistrin.[11], Savonen. [12], et ad Archiep. Bracharen. [13], Beneventan.[14], Neapolitan.[15], Rhegien.[16], Salernitan.[17], Thranen.[18], Taurinen.[19] datis firmavit, quibus Synodus Tridentinae optata et praescripta sedulo exequutioni demandari iussit, illud non tacens se suismet opibus illis qui inopia detinebantur ne ea perficerent obventurum. Idem fuit Pontifex qui Eborensi Capitulo et Eugubino Episcopo [20] strenua reprehensione obiurgavit neglectam de re operam: quam ut impense foveret non modo litteras Clero Frisingen. [21] et Thaddeo Ducis Bavarorum Cancellario [22], Primati Hungarorum [23], itemque Maximiliano Imperatori [24] dedit, quibus Seminaria erecta vel erigenda commendavit, sed etiam Patrum Congregationi SS. Concilii Tridentini interpretum curam demandavit praecipuam ut litteris de sacris Seminariis erigendis studerent.

IV. — Gregorius XIII [1572-1585] nihil antiquius habuit quam praedecessoris suis fideliter inhaerere vestigiis, idque tanta sollertia perfecit ut hominum memoria nomine *divinarum scientiarum Instaurator et Pater* sit insignitus. Illius studiis et apostolicis curis Hungaricum Collegium in

[1] Die XXX Dec. 1564.
[2] Cfr. Serrarii, *Rerum Moguntinar*, Lb. I, cap. 32; Theiner, op. cit., Par. III.
[3] *Epistolarum*, Lib. I Epist. 1.
[4] Ibid. Lib. III, Epist. 27-30.
[5] Ibid. Lib. III, Epist. 126.
[6] Ibid. Epist. 154.
[7] Ibid. Epist. 127.
[8] Ibid. Epist. 132.
[9] Ibid. Epist. 204.
[10] Ibid. Epist. 191, 228.
[11] Ibid. Epist. 21.
[12] Ibid. Epist. 229.
[13] Ibid. Epist. 198.
[14] *Epistolarum*, Lib. III, Epist. 181.
[15] Ibid. Epist. 186.
[16] Ibid. Epist. 110.
[17] Ibid. Epist. 280.
[18] Ibid. Epist. 250.
[19] Ibid. Epist. 124.
[20] Ibid. ep. 27. pagg. 192 et 597.
[21] Ibid. Epist. 12-13 - Cfr. Harzheim. *Concilia German.* Tom. VII, pagin. 585.
[22] Ibid. Lib. III, Epist, 10. Cfr. Lunigg, *Spicilegium*, Tom. III.
[23] Ibid Epist. 2. - Cfr. Peterfy, *Concil. Hungar.* tom. II. pag. 185.
[24] Die X Sept. 1575.

Urbe excitatum est [a. 1579], cum quo [a. 1584] Collegium Germanicum [1] coaluit, cuius idem ipse Pontifex litteras approbationis subscripserat [2], illud tot tantisque privilegiis cumulans ut non modo S. Ignatii fundatoris auctoritate [28 Oct. 1552], sed hisque maxime Pontificis liberalitatibus [3] Collegium hoc primas inter praestantissima romana ephebea tulerit partes, quas nempe usque ad a. 1733 feliciter asservavit. Hoc enim nefasto anno depulsis Patribus Societatis Iesu [quorum nomen deletum fuerat] Iosephus II alumnos suae gentis inde abstulit, atque Collegio a seipso Papiae excitato [prout eventus comprobavit potius ad sui quam Ecclesiae nominis incrementum] omnes adscripsit. Direpta a. 1789 atque fisco adiudicata Collegii bona; ab a. 1800 [sub quo iterum restitutum est] usque ad a. 1813, quo Napoleonis iussu rursus proscriptum fuerat, brevis atque fortunosa illius vita; sub a. 1848 novis ereptum periculis, postremo [1886] sedem Borromaeam [qua *Seminarii* nomen nostris quoque diebus vicus retinet] cum praesenti ad S. Nicolae Tolentinatis posita commutavit. Centum floret hodie tyronibus in Ecclesiae universae atque praesertim theutonicae gentis bonum ac utilitatem, cuius spem sane non fallacem anteactis saeculis XXIX Patrum purpuratorum, LIII Archiepiscoporum, CCC Episcoporum conferto senatu ex 6000 circiter alumnis fovit [4]. — Insigne hoc suae curae in Sacra Seminaria testimonium argumentumque optimum idem Gregorius XIII innumeris liberalitatibus auxit in aliarum gentium Collegia. Testes sunt Collegium Anglorum Duaci a B. Alano institutum, indeque Rhemis per breve tempus traslatum donec postremo nativa in sede a gallicis diris perturbationibus sub a. 1789 peremptum fuit: alterum Anglorum Collegium [cuius XLIV alumni Christi martyres sinceram se ingenuamque permanere sobolem sanctorum parentis Angliae demonstra-

[1] Bulla *Dum sollicita*, die XXXI Augusti 1552.

[2] Bulla *Ex Collegio Germanico*, Kal. April 1584.

[3] Cfr. *Bullar. magn.*, tom. II, pag. 404, 14, 280, 255; *Bullar. rom.* tom. VI, Pars. 3. pag. 325.

[4] Cfr. Steinhuber, *Geschichte der Collegium Germanicum-Hungaricum in Rom*; Cordara, *Collegii Germanici et Hungarici historia.*

runt] huius Pontificis curis [a. 1579] Romae excitatum; Seminarium Helveticum Mediolani eodem auctore institutum, itemque Patriarchale Venetorum [1], quibus addenda Braunsbergense, Brugense, Fuldense, Ypretense, Matriten., Mantuan., Montan., Pragen., Rigen., Wilnen., Gradicen., ac denique celeberrimum ephebeum Dillingense, omnia Patrum Societatis Iesu curis concredita [2]. Atque aere perennius vere monumentum sibi exegit Collegium Romanum instituens, quod tot tantisque ereptum Divina Providentia procellis ac periculis, nostra quoque aetate divinarum scientiarum facem per tercentos annos rite ac strenue asservatam in Ecclesiae bonum et utilitatem alit, magnumque Gregorii nomen suo nomini additum, in universas gentes cum gloria et honore late diffundit [3].

V. — Syxtus V [1585-1590] Montaldum domum suam Seminario ditavit [4], itemque Papiense [5], S. Trudoni [6] ac Tornacense [7] Seminarium instituit.

VI. — Clemens VIII [1592-1605] praeter quam quod Collegium Clementinum [8] et Scottorum [9] Romae instituit, atque Massilien. [10], Tolosanum [11], Flechinum in Galliis [12], Leodien. in Belgica [13], Committense in Hungaria [14] fundavit, litteras quoque *Ea semper fuit* [a. 1592] dedit, summi sane faciendas ab eo qui mentem Ecclesiae, tum de Sacrorum Seminariorum institutione, tum de mediis ad eorumdem bonum et incrementum provehendum assequi velit [15].

[1] Cfr. Flam. Cornelius, *Eccles. Venet. antiqua monumenta.* Dec.

[2] Cfr. Possevins, *Bibliothek der Katholischen Pädagogik* XI, 337-254 — *Bullar. Roman.* tom. IV, pag. 47-73; tom, V, pag. 172, 422; tom. VI, pag. 52, 100, 157, 175; *Bullar. magn.* tom. V, pag. 129, 179; tom. XIX, pag. 45; Dogiel, *Cod. Diplomatic. Polon. et Ducat. Livoniae*, tom. VI, pag. 196.

[3] Cfr. Sacchini, *Annal. Soc. Jesu* Pars V, Lib. I, n. 50; Cordara, *Hist. Soc. Jes.* Lb. II, pag. 58.

[4] *Bullar. rom.* tom. V, P. 1, 1588.

[5] Ibid. tom. IV, Part. IV, 1587.

[6] Ibid. tom. V, P. 1, 1590.

[7] Ibid. tom. ib. 1589.

[8] Ibid. tom. V, 1604.

[9] Ibid. 1600.

[10] Ibid. 1592.

[11] Ibid. 1599.

[12] Ibid. 1604.

[13] Ibid. 1599.

[14] Ibid. 1594.

[15] Ibid. tom. V, pagg. 34, 56, 122, 226, 319, 363, 402; tom. VI, pag. 38; *Bullar. magn.*, tom. VI, pagg. 8, 115.

VII. — Paulus V [1605-1621] quatuor ex huiusmodi Seminariis condidit, videlicet Romae Collegium Mattei [1605], Ulyssipone Collegium Hiberorum [1613], Parisiis Scottorum [1617], atque, Maximiliani ducis pientissimi rogatu, Lotharingiae clericos eodem bono donavit[1].

VIII. — Urbanus VIII [1623-1644] Seminarium Vaticanum [1636] condidit, atque sua liberalitate vel instituit, vel impense fovit Seminaria Asculitan. [1624], Avenionense [1639], Steussianum apud Silesiam gentem [1626], Pragense, Fuldense, Vindobonense, Hibernum Lovanii [1624], Liliense [1636], Illyrorum Lauretanum [1627], fines quoque Turcarum apostolicis missionibus Seminarii Fertiani [1624] subiecit. At nomen illius clarissimum ex eo incrementum accepit quod Pater et Conditor fuerit celeberrimi Collegii Urbaniani de *Propaganda fide*, cuius tabulas ipse [die 1 Aug. 1627] obsignaverat datis sub bulla plumbea litteris *Immortalis*, atque die 13 Mart. 1740 confirmavit prohibens ne quodvis Collegium huiusmodi nomen sibi adsumeret. Curam tanti Instituti demandavit primum PP. Theatinis, at subinde eam saecularis cleri sacerdotes suscepere. Vix tanto nomini par quodque elogium addere necesse habemus; vere enim apostolorum innumerorum tale tantumque Collegium uberrimum seminarium exstitit, qui rem christianam non modo praedicatione, laboribus omnimodis, sed sanguine quoque suo apud dissitas ad extremas terras gentes instaurarunt, firmarunt, plurimoque auxerunt profectu[2].

IX. — In Innocentii X [1644-1655] praecipuis laudibus quisque aequus rerum aestimator hoc ponit quod is Seminarium Ravennatense pro Maronitis a Monte Libano instituerit [1646]: memoria quoque illud dignum est quod idem S. Pontifex [a. 1647] Collegium Hibernum Romae, Angelopolitanum Seminarium [a. 1648] fundaverit, ac etiam Duacensis Seminarii angustias summa liberalitate levaverit[3].

[1] *Bullar. rom.* tom. V. pagg. 80, 115, 224; tom. VI, pag. 357.
[2] Ibid. tom. VI, Pars. I, pag. 68; Pars. II, pp. 93, III, 198, 224, 284.
[3] *Bullar. rom.* tom. VI, pagg. 70, 115, 154, 156, 175.

X. — Alter Innocentius XI [1670-1676] ad clericalis scientiae et doctrinae bonum et incrementum Academiam Ecclesiasticam instituit [1].

XI. — Quum Clemens XI [1700-1721] ad apostolici muneris fastigium ascendit, Seminariorum sacrorum res in summo discrimine versabatur. Propterea Summi Pastoris cura studiumque fuit illorum partes suscipere ac strenue tueri: idque plurimis epistolis ad episcopos praesertim Germanos datis validissime praestitit. Inter eas memoria maxime dignae sunt quas scripsit in causam Seminarii Coloniensis quod, ad tempus, Seminario Tornacensi unitum fuerat, ut pristinae libertati restitueretur: item quas ad Eleonoram Theresiam Imperatricem dedit gratulans piae feminae operam in Seminarii Linciensis utilitatem impensam, quod idem praestitit cum episcopis Cameracen., Salisburgen., Moguntin., Ratisbonen., Eichstadien., quorum studiis Scottorum Seminaria valde profecerant. Eiusdem S. Pontificis opera Seminarium Spalatinum et Signinum [apud Dalmatas] condita fuere [2].

XII. — Benedictus XIII [1724-1730] Seminarium constituit tum Cesenae [a. 1724], tum in Civitate Plebis [a. 1728]; Matthaeo Ripae constanter adfuit illumque opera et patrocinio summopere iuvavit ut Collegium Sinense quod a. 1729 Neapoli excitatum est, conderet. Maxime tamen recolenda est percelebris concio quam in Conc. Romano [die 20 Maii 1725] de sacris Seminariis promovendis amplificandisque habuit, ad quem etiam finem decretum *Creditae Nobis* edidit, sapientissima consulens de re familiari Seminariorum, illud etiam constituens ut ad eorumdem bonum et incrementum sollicite advigilaret nova Romana Congregatio cuius partes praecipuas gererent ex officio, Praefecti, Secretarii S. C. Concilii et S. C. Episcoporum et Reg., itemque Datarius seu Prodatarius pro tempore. At [malo fato] sapientissimi Pontificis consilium haud multo post tempore irritum effectum est [3].

[1] *Bullar. rom.* tom. IX, pagg. 507; *Bullar. magn.* tom. III, pag. 321.

[2] *Epist. et brev. select.* tom. II, pagg. 172, 174, 754.

[3] Benedict. XIII, Constitut. X, appendix. *Acta Concilii Roman* n. 27; Cfr. *Bullar. roman.* tom. XI, p. 409; *Bullar. magn.* tom. XIV, pag. 479.

XIII. — Clemens XII [1730-1740] Seminarium Placentinum [a. 1734] condidit, itemque in bonum praesertim clericorum graecorum-catholicorum Siciliae Seminarium Ulanense [1].

XIV. — Benedictus XIV [1740-1758] qui ut Archiepiscopus Bononiensium tantam navaverat operam ut optima excoleretur ratio clericalis institutionis, de qua etiam provecta sapientia conscripserat [2], in ipso Pontificatus sui limine [die 3 Dec. 1740] encyclicas litteras dedit ad omnes orbis episcopos [3] quibus seminariorum sacrorum curam impense commendat, illud quoque non tacens se suis etiam subsidiis is qui inopia detinebantur ne optata perficerent subventurumesse.

XV. — De Pio PP. VI [1775-1799] meminit historia immanes exantlatos labores ut acrius obsisteret Iosepho II Imperatori qui ad sacra etiam Seminaria animi sui cupiditatem ac dominandi libidinem extenderat. Ad quem finem in primis conciliaboli ad Ems acta Imperatori servorum more faventis rescidit, atque vehementer episcopis Germaniae et Belgicae tridentinorum decretorum de Seminariis observantiam commendavit.

XVI. — Pius VII [1800-1823] non prius captivitatis Napoleonicae compedes excussit quam animum operamque intenderit ad clericorum institutionis Collegia restituenda. Incrementum igitur addidit Academiae Clericorum claro genere prognatorum, Institutum *De Propaganda Fide* ad summum fastigium adduxit, atque in foedere Bavarico [4] summopere cavit ne Seminaria tum dudum condita quum condenda quid detrimenti caperent, Tridentinis immo legibus summum obsequium deferri iubens. Hinc quum in diaeta Francofurtensi [30 April. 1818] non aequa de illis legibus ratio habita fuerit, ut sedulo observarentur ipse fortiter institit. Idipsum in Conventione cum Borussia stipulatus est

[1] *Bullar. Roman.*, tom. XIII, pagine 235, 287, 321; tom. XIV, pagine 123, 257; *Bullar. Magn.* tom. XIV pp. 223, 255, 264; tom. XV, pagg. 96, 222.

[2] *Institution. Ecclesiast.* LVIII: *De Synodo Dioecesana*, Lb. V. Cap. II; *Bullarium Roman.* XIV, tom. I, p. 4.

[3] *Epistola encyclica et commonitoria ad omnes Episcop. Romae.* 1746.

[4] *Concord. Bavar.* die V jun. 1817. Art. V. - Cfr. De Schenckt., *Institutiones*, Par I; Theiner, *Op. cit.* Par. III.

die 8 Sept. 1817, et Collegium porro Germanicum-Hungaricum pene e cineribus suscitari iussit.

XVII. — Leo PP. XII [1823-1829], vestigiis praedecessoris sui fideliter insistens, restitutionem Seminariorum sollerter est prosequutus; Collegium Romanum atque Nobilium Convictum iterum suscitavit, Germanici et Hiberni Collegii angustias omni liberalitate lenivit, ac denique Studiis regundis Sacrum Consilium instituit. Conventionem maxime proficuam cum Hannoverorum rege [die 7 Apr. 1824] inivit, qua Seminariorum iura sarcta tectaque forent: atque Constitutiones ecclesiasticas pro Superioris Rheni provinciis sancivit in qua summae partes Seminariis restituendis fiunt [1].

XVIII. — Pius PP. IX [1846-1878] quam optime de Sacris Seminariis meritus est. Is enim [27 Iun. 1853] Romae Seminarium Pium dioecesibus Status Pontificii constituit; a. 1854 vero Ss. Ambr. et Caroli Seminarium, quod communi nomine, Collegium Lombardum audit. Seminarium Gallicum a. 1859 canonice erexit [2] atque benemeritis Sacerdotum Instituti a Spiritus Sancto et Corde Mariae curis perpetuo concredidit. Encyclicis litteris *Qui pluribus* bonum clericalis institutionis nomen paternis curis defendit, idemque iterum publica allocutione praestitit [3]. Quo ipso anno 1867 Seminarium Ss. Apostolorum Petri et Pauli ad sacras expeditiones condiderat, Episcopis Romae in Concilium collectis complurimas quaestiones de S. Seminariis proposuit iterumque proponendas et augendas per S. C. Concilii curavit. Maxime igitur dolendum est talem tantamque rem, ob inopinatam Concilii intermissionem, nec agitari quidem eo tempore potuisse! — Denique eiusdem Pii IX eximia insignisque laus est in Collegio Pio Latino Americano [a. 1858 conditum] ex quo tot tantaque bona in Americam latinam redundarunt: nam in hoc condendo Instituto vere partes Patris amantissimi Pius

[1] Bulla *Ad dominicis gregis custodiam*, die XI Oct, 1827.

[2] Bulla *In sublimi* non. prid. id. Iul. — Cfr. Eschbach, *Le Séminaire Pontifical Français de Rome*, 1903.

[3] Allocut. *Numquam fore*, die XV dec. 1856.

suscepit, atque conditum amplissima liberalitate singularique studio est prosequutus.

XIX. — Leo PP. XIII [1878-1903] nihil tantis curis studiisque in suis litteris ad episcopos quam rectam clericorum institutionem commendavit. Ad Petri solium evectus celeberrimas encyclicas *Aeternis Patris* [4 Aug. 1879] misit, quibus S. Thomae Aquinatis disciplinam iterum in clericorum scholis instaurandam indixit, atque XLIV actis et epistolis suis rem firmavit, plurima sapientissime constituens ut optata perficerentur. Quamobrem VIII pontificias scholas seu facultates instituit: Mediolani [20 Sept. 1892], Patavi [25 Sept. 1894], in Hispania per quinque Seminarii [30 Decem. 1892], itemque Hispali [4 Aug. 1897], Vallisoleti [13 Oct. 1897], Romae in Vaticanis scholis [11 Febr. 1897], Luxemburgi [14 Sept. 1898], Beneventi [30 Iun. 1899], mirum profecto gemmarum diadema circa primum [15 Oct. 1879] Romae Academiam S. Thomae institutam. Ab eodem Summo Pontifice condita sunt: Seminarium Ven. Bedae pro clericis ex protestantium secta ad sacra ministeria vocatis [20 Dec. 1898], Collegium Canadense [11 Nov. 1888], Collegium Illyricum [1 Aug. 1901], Hispanum [25 Oct. 1893], Portugiense [20 Oct. 1900], Leoninum Anagniae [22 Aug. 1897], Apostolicum Leonianum Romae [31 Aug. 1901], Atheniense Athenis [20 Novemb. 1901], Bohemum [1 Ian. 1890], Ruthenum [18 Dicemb. 1897], Maronitarum [20 Mai 1891], Armenum [1 Mai 1883]; Graecum [15 Dec. 1897] perpetuo O. S. B. Patribus moderandum addixit, atque in Philippinis insulis [30 Sept. 1900] nova Seminaria instituit, illis gemina quae [24 Iun. 1894 et 19 Mart. 1893] apud Indos condiderat. — At maximi faciendae sunt ad rem litterae quas dedit ad Episcopos Hungariae [2 Sept. 1893], Poloniae [19 Mart. 1893], Brasiliae [2 Iul. 1894], ad Antistites omnes Americae Meridionalis [15 Martii 1897], ad Clerum gallicum [8 Sept. 1897], denique ad Episcopos Italos [10 Aug. 1901, 2 Dec. 1902] quibus omnibus tot tantaque de clericis instituendis in sacris Seminaris sapientissime consuluit ut veluti integrum et absolutum doctrinae corpus his tradi videatur. — Denique ut in romanorum clericorum institutione et disci

plina nihil iam desiderandum superesset, sub die 10 Aug. 1901 de clericis Romam studiorum caussa peregrinantibus, pastorali sollicitudine atque prudentia plena documenta edidit, quae omnia sapientissime illius Successor firmavit et auxit.

XX. — Qui quidem gloriosissimus Pontifex Noster Pius X [1903], quem diu Dominus sospitem servet, nulli horum cedere videtur quorum acta et instituta dilaudavimus. Numquam enim apostolicae suae curae opera fructusque edidit, quin de recta optimaque ratione clericos sancte instituendi aliquid sapientissime constitueret. Primae quas ex Apostolici muneris fastigio dedit litterae encyclicae de S. Seminariis fuso calamo peretractant [1], eamdem summi momenti rem exagitavit sequenti epistola, neque de centenaria S. Gregorii Magni solemnitate dixit quin sibi maxime cordi esse institutionem clericorum amplissime testaretur [2]. At quanta sit huius rei Summi Pontificis cura maxime quae prostremis hisce temporibus cumulate constituit, docent. Ab ipsis enim litteris ad episcopos Italos die 28 Aug. 1906 datis *Pieni l'animo,* ad recentes usque encyclicas *de Modernistarum doctrinis* [8 Sept. 1907], harumque corollarium Motu-proprio *Praestantia* [19 Nov. 1907] contentum non intermissam seriem apostolicorum documentorum actorumque habemus quibus firmissima proditur voluntas, novam omnino universa tempora anteacta longe antecellentem aetatem instaurandi quod ad rationem clericorum doctrinam moresque excolendi attinet. Huius tam laeti ominis nuncupandi non pauca sunt argumento. Ipse Summus Pontifex dum novum peculiare Institutum provehere sese omni ope testatur in quo, iuvantibus quotquot sunt inter catholicos sapientiae fama insignes, quidquid est scientiarum, quidquid omne genus eruditionis, catholica veritate duce et magistra promoveatur, interea nova omnino decrevit ac constituit, tum de clericis externis Romae studiorum caussa commorantibus [3], tum de alumnis aliarum dioecesum in Seminariis caute admittendis [4], tum denique et maxime de ratione

[1] *E. Supremi*, die IV Oct. 1903.
[2] *Iucunda Sane*, die VII Mart. 1904.
[3] Epist. *La ristorazione di ogni cosa in Cristo*, die V. Maj 1904.
[4] Decret. *Vetuit* S. C. Concilii, die XVII Dec. 1900.

studiorum in Seminariis Italicis[1], atque de praesenti quam breviter inlustrabimus, norma disciplinae instaurandae.

XXI. — Peropportune omnino hanc normam editam esse vix effari necesse habemus. Siquidem non desunt ex Seminariis quae omni et quacumque norma disciplinae scripta careant, idque tum si de Italis quum si de exteris gentibus sit sermo. At vero inter haec quoque Seminaria quae suis normis rationibusque reguntur, vix paucissima invenies quae communibus iisdemque fruantur regulis. Quotquot ipsi colligere potuimus ordines vel normae [et his non paucas adhuc deesse libenter fatemur] supra ducentas ascendunt, eaeque non modo inter se parum sunt cohaerentes, sed nonnumquam nec rectis quidem aequitatis et prudentiae principiis [quibus ars puerorum instituendorum innititur] aequi consulere videntur. Sed de his alias; interea vero id unum efferre liceat nullam omnino ex his normam esse, nec eas quidem quas typicas, iure meritoque, appellaveris, in qua has dotes aut requisita invenire possis: omnia complecti; omnibus unius saltem gentis Seminaria prospicere; S. Sedis auctoritate promulgatione gaudere. His autem numeris omnibus absoluta est, et cumulate quidem, quae per S. C. EE. et RR. proponitur norma. Hinc iam omnibus suaderi potest quanta praestantia in linea iuris, quantaque canonica auctoritate polleat documentum de quo agimus.

XXII. — Ne autem audacius fortasse loqui videamur paucis ea expendere liceat quae inter Seminariorum regulas atque statuta maiorem celebritatem nacta sunt atque, usu et experientia, optima ac excellentissima sunt comprobata. — Prima occurrit nobis ratio studiorum atque disciplinae a S. Ignatio et sociis eius in Collegio Germanico instituta; atque huius quidem rationis utilitati plurimas partes bonorum suorum ac incrementi Collegium illud [iure meritoque] accepta refert et referet. Quin etiam fateamur oportet sub adspectu quoque pedagogico rationem illam fere absolutam esse; concedimus denique libenter auctoritate S. P. Gregorii XIII [4 Apr. 1584] firmatam illam fuisse et compro-

[1] Die XVIII Maj 1907.

batam. Id nihilominus, talem videlicet rationem nonnisi uni Instituto fuisse propositam, omnibus liquet. — Progressu temporis laudatissimus *Institutiones* S. Caroli Borromaei habes, excellentissimum profecto clericalis educationis documentum, ex quo plurima optimaque hauserunt quotquot Seminariis suis leges tulerunt: neque in ea quid desideres, quid summi non extollas laudibus. At vero Seminariis Mediolanensibus tantum destinata est, neque ullus umquam Summorum Pontificum [qui tamen illam summo in pretio habuere] sua Apostolica auctoritate per modum legis illam firmavit. — Quae plane auctoritas desideratur etiam in regulis quas B. Card. Gregorius Barbarigo descripserat ex Borromaeis [nonnumquam in ipsis verborum sententiis] atque Seminario Patavino observandas indixit. — Idem ferri debet iudicium de regulis quoque quas Seminariis constituit [a. 1635] S. Vincentius a Paulo, quae quamquam non omnia quae Seminariorum officia et instituta sunt, fortasse, complectuntur, tamen provectae Auctoris sapientiae et sanctitatis insigne reddunt testimonium, laudibus S. Sedis, etsi non formali [ut aiunt] approbatione, iterum ac iterum cumulatum. — Ne dicta praeter modum augeamus eodem titulo carent normae [sua plane celebritate conspicuae] quas Iohannes Fontanellensis [1636], Ven. I. B. Eudes [1644], Ven. Olier Seminarii ad S. Sulpitii conditor [1626], Ven. Holtzhauser [1613-1658], anonymus auctor suo Alumnato PP. Soc. Iesus prope Dillingam, denique ipse S. Alphonsus Ligorius praescripsere; quin etiam de alphonsiana norma animadvertendum est in ea plura adhuc desiderari si extra provinciam Neapolitanam [cuius necessitates s. Auctor prae oculis praesertin habuit] ad aliarum regionum mores transferatur. Nec alia ratio est recentiorum huiusmodi statutorum auctoribus Dupanloup [1] seu illius vicario Gaduel, atque Fuzet [2]. — Praeter has omnes normas nil aliud efferri potest si Tridentium decretum de Seminariis erigendis excipias. At vero de hoc ipso decreto illud perspicuum est atque omnibus compertum quod, etsi maxima profecto canonica auctoritate nec minore praestantia excellat paedagogiam quod attinet [quum omnia complectatur quae

[1] *De l'Education* Vol. III.

[2] *Le Grand Seminaire*, Paris 1904.

in sacris condendis dirigendisque Seminariis sint observanda], tamen nec pro vera disciplinae norma habendum est, neque eo loco et honore ab ipsis Patribus Tridentinis umquam est habitum.

XXIII. — Fatendum igitur est quod ipso in limine propositum fuit: quandoquidem tria requisita, quae frustra ab aliis omnibus expetivimus quotquot in istitutionis clericalis historia fama insignes sunt normis, in hac una S. Congregationis Episcoporum et Reg. auctoritate proposita simul et absoluta quidem ratione demum cumulentur. Haec enimvero S. Sedis testimonio comprobata est, eadem universis Italicis Seminariis proposita, eadem quoque in genere suo omnibus numeris absoluta. Hoc postremum concedere nullus sane lector ambiget qui singula quae illa norma praescripta sunt, prout apertius infra commonstrabitur, animo reputet suo. Mirabitur is praesertim salubrem efficaciam ad nostrorum temporum indolem atque ingenium apprime temperatam, qua omnia proponuntur quibus vitae actio et clericorum Moderatorumque munia et officia continentur, ea tamen ratione ut extrema quae semper vitiosa fuere atque clericorum institutioni in primis perniciosa, studiose caveantur. Id quidem dum fere nullius rem negotii efficiet sedulam ac diligentem observantiam a Seminariis praesertim Italicis adhibendam, ut aliarum quoque gentium Seminaria eadem prorsus utantur norma, non parum etiam conferet; pauca enim et nullius fere momenti praescripta delenda, addenda immutandave erunt ut exteris quoque usibus atque Institutis accommodetur. Hinc est [ni animum rei studium fallat aut spes] ut idem contendere liceat, documentum videlicet de quo nobis res est non modo rebus praeceptis sed eas proponendi quoque ratione ac methodo, luculentum specimen edere iuris canonici in unum corpus codicemque redigendi, quod omnium desiderio exoptatissimum opus inter plurimas quibus gloriosi Pontificis Nostri regnum iam nitet glorias, praecipuum sane locum obtinebit maximamque utilitatem et incrementum Sanctae Dei Ecclesiae addiderit [1].

[1] Has animadversiones primum dicatas libellis periodicis romanis quibus titulus *Analecta Ecclesiastica* [fasc. III, mart. 1908] heic, adnuentibus ephemeridis Moderatoribus, descripsimus.

# DE CLERICORUM SPIRITUALI INSTITUTIONE

## INTRODUCTIO.

Acturi de spirituali clericorum institutione equidem vix praefari necesse habemus qualem et quantam et cuius momenti tractandam rem susceperimus, quum optime sacrorum alumnos institui intersit Ecclesiae universae, nec latere possit quemquam qui tantisper animo reputaverit suo quid sibi assequendum proposuerit Ecclesia quum in Sacrosancta Tridentina Synodo de sacris Seminariis erigendis, conservandis amplificandisque sapientissime consuleret. Quippe huc animum intendebat ut dignos altaribus sanctis ministros, populo autem Dei veri nominis apostolos compararet.

Iamvero ambiget nemo tales numquam sacerdotes ac Dei ministros exstituros nisi qui vera imbuantur sanctitate, ea scilicet quam diuturnum ac sapiens tirocinium parere consuevit, cuius ope et virtute tantummodo [Dei adiuvante gratia] alumni sacrorum veterem hominem exuere et in iuventutem Spiritus Dei renovari queunt, adeo ut ipsius Sancti Spiritus impulsu agant quidquid cogitent, loquantur, operentur.

Sacerdotem perfectum illum tantummodo esse praedicandum cuius ad vitae sanctitatem doctrinae quoque laus accedat concedimus libenter, quippe qui non sibimetipsi tantum utilis, verum ac multo etiam magis aliis sit profuturus. *Tam doctrina quam vita clarescere debet ecclesiasticus doctor; nam doctrina sine vita arrogantem reddit, vita sine doctrina inutilem facit*[1]. *Illi exemplis vitam bonorum corrum-*

[1] *Concil. Aquisgran.* I, can. 2 – Cfr. *Concil. Aquilej.* I. Cap. *De Seminariis clericorum;* S. Iohan. Chrysostom. *De Sacerdotio,* Lib. VI, Cap. 8; S. Carolus Borromeus, Instructio *De disciplin. instit.;* Id. *Institut. Seminar,* Pars. III, Cap. IV.

*punt, isti sua ignavia iniquos corrigere nesciunt* [1]. *Tantum* enim *lucere vanum, tantum ardere parum; ardere et lucere perfectum* [2]. Quapropter *lumen doctrinae neque illud vulgare in sacerdote requiritur, quia muneris eius est implere sapientia ceteros, evellere errores, ducem esse multitudini per itinera vitae ancipita et lubrica* [3]. Nihilominus idem contendimus perniciosam omnino et usque ad extremam sui aliorumque perniciem esse illius sacerdotis doctrinam in quo vitae sanctitas non pari passu cum doctrina ambulet, immo doctrinam ipsam non antegrediatur. Hinc enim exoritur superba illa atque detestabilis cuiusvis rei ad trutinam revocandae spernendaeque lubido, atque exinde, inflata profanorum scientia fovente, perennis malorum colluvies in Ecclesiam redundat ac crebra spiritualis ruinae occasio dominico gregi paratur. *Ad dignos... Domini sacerdotes instituendos praeter doctrinam diligentior requiritur clericalis institutio, qua deficiente actio cleri populo pene inefficax esset* [4]. *Lux enim doctrinae a clero in christiani populi ordines diffundenda vix dici potest quam magnam habeat utilitatem si quasi e candelabro virtutis effulserit* [5]. *Oportet* igitur *clerum... summa laude virtutis excellere ut animas hominum conciliet sibi atque in observantiam adducat* [6]. *Quopropter decet clericos vel a prima aetate iugo Domini assuescere, pietati vacare plurimum, inservire sacris ministeriis, vitae sacerdotalis exemplo conformari* [7], *et nihil omittatur quo Seminario um alumni ad Dei amorem et profectus spiritualis desiderium efformentur. Exercitia enim quae mentem alunt et attollunt scientiae requisitae culturam non impediunt, sed eius fructus multiplicant* [8].

Peropportune igitur a nobis fieri existimabitur si viam commonstremus quae dum extrema quae semper vitiosa sunt fugiat, virtutem quae media est amplectatur, in qua si fideliter insistamus sacerdotes vere sanctos efficiemus qui, miti

[1] S. Isidorus Hispalensis, *Sentent.* Lib. III. Cap. XXXV, n. 1.

[2] S. Bernardus, *Serm. in Nativitate S. Ioan Bapt.*

[3] Leo XIII. Encycl. *Exeunte iam anno*, die 1 dec. 1888.

[4] Id. Ibid.

[5] Id. Encycl. *Officio sanctissimo* die XX Dec. 1887.

[6] Id. Ibid.

[7] Id. Encycl. *Paternae providaeque nostrae*, die XVIII Sept. 1889.

[8] *Concil. prov. Vienn.* [a. 1858] tit. VI. Cap. I.

ac suavissimo Dei Spiritu pleni, abhorreant ab iis quae pravum ac protervum mundi ingenium ac superbia vitae peperere. Atque his quidem malis ac vitiis eo acrius obsistere oportet quo graviora, nostris hisce temporibus, damna luctusque Ecclesiae attulere.

Itaque Sancto Carolo Borromaeo duce et decreto S. Congregationis Episcoporum et Regularium tamquam norma praelucente praeclarisque Leonis XIII fel. rec. et SS. D. N. Pii PP. X documentis in opus deductis, verum etiam iis quae ab aliis sacris Romanis Consiliis constituta fuere obsequentes, id adnitemur ut quam brevissime quae ad clericorum spiritualem institutionem in Seminariis pertinent sic exponamus ut non solum quae doctrinam respiciunt attingamus, verum ac multo etiam magis ea colligamus ac tradamus quibus vitae actio et usus cotidianus absolvitur. Idque ita praestabimus ut Borromianis institutis et traditis praesertim insistamus quin tamen minime contemnendas existimemus scholas illas quae, forte, methodi diversitate a nobis dissideant. Unum enim nostrum omnium studium ac commune votum tantum conniti animo, tantum labore contendere ut quam optima clericalis institutionis proponatur ratio, cuius utilitate Ecclesiae ipsius utilitas atque incrementum continetur. Quandoquidem Ecclesia [satius id nemo dixerit] si quidquid ad animarum salutem conducit, iure meritoque, a sanctis sibi pollicetur sacerdotibus, nihil est quod non possit pertimescere ac reformidare mali ab iis qui vitae sanctitate non praefulgeant.

---

# SECTIO I.

# DE CLERICORUM
## SPIRITUALI INSTITUTIONE GENERATIM

Si quis exquirat a quonam spiritualis clericorum moderatio agenda sit, non antea quam si spiritualis institutionis genera ita discreta fuerint ad invicem ut plane constet utrum de directa an indirecta [ut aiunt] moderatione sit sermo, huic quæstioni satisfieri posse noverit.

### Cap. I.

### DE CLERICORUM INSTITUTIONE SPIRITUALI INDIRECTA ET IMPERSONALI.

#### PROOEMIUM.

Spiritualis clericorum institutio indirecta et impersonalis materna illa diligentia continetur qua Seminariorum Moderatores omnes præcavent ne in alumnorum Sodalitium quidvis intrudatur quo institutio spiritualis vel omnino praepediri, vel saltem difficilis effici consuevit. *Haec quippe optima est disciplina non prius vitia dominari sinere et postea quaerere quo pacto illa eliminari possint: sed omnia facere atque moliri ut naturae nostrae nequitiae sit inaccessa* [1]. Secus ad non parva, nec pauca coercenda adigetur Moderator, nec semper ad optata perveniet: poenis autem plexis maiore quam opus est numero augescentibus, Sodalitii pax, alumnorum Moderatorumque alte vulneratur, atque [ut uno verbo omnia complectamur] magnis gravibusque labo-

[1] S. Ioh. Chrysostom. *Adversus oppugnatores vitae monasticae*, II, n. 17.

ribus nonnisi perquam exiguus fructus excolitur. Si igitur praecipuas disciplinae industrias recolentes integram fere prout in Seminariis ab ingressu ad exitum usque peragitur vitam paucis perlustremus, operae pretium nos existimamus adlaturos.

## Articulus I.

### De disciplina praecavendi.

#### § 1. — Quanti facienda sit tironum susceptio.

Summae rerum. — XXIV. De huius rei momento. — XXV. Quænam sint in cauta susceptione præstanda. — XXVI. Quot alumnos Seminarium ut plurimum ferat.

XXIV. — Facilis tironum admissio malorum fere omnium quae in spirituali clericorum institutione lugenda sunt perennis fons et origo est, per quam res gravioris quidem exitii plena, inconsiderata videlicet electio ad sacros ordines iam paratur. Si enim alumnorum susceptio *recte fiat proclive evadit seminarii regimen uberrimosque fructus scientiae et pietatis proferet et facilius praecavebitur periculum ad ordines, indulgentiae caussa, clericos promovendi sub omni aspectu modicos, qui saepe Ecclesiae plus nocent quam prosunt, immo non raro magnum afferunt detrimentum. Utinam longe pauciores sed vere et omni ex parte sacerdotes essent! Vae illis qui remissiores in re adeo gravi se habent!* [1] E contrario haud raro sub maioris Dei gloria specie, spes inter cetera Seminaria excellendi et numerositate alumnorum medendi inopiae rei familiaris subrepit studium. At qui sincere ad maiorem Dei gloriam animum intendunt ad hanc multo magis conferre alumnorum sanctitatem quam numerositatem probe norunt. Quum vero tironum facilior admissio abusus et disciplinae infractiones pariat et per haec crebrae reprehensiones ne-

[1] *Concil. Prov. Albiens.*, [a. 1850] Tit. VII, decret. II, 1.

cessariae fiant quarum notitia bonam de Seminario opinionem apud externos minuit ita ut numerositatis gloria maiorumque opum spes simul interdicatur, qui rerum huius saeculi nimis solliciti sunt saltem inepte omnino haec omnia persequi suadentur si in alumnis admittendis quam cautissime non advigilent. Quae igitur a S. Carolo Borromaeo hac de re sapientissima traduntur monita pro tutissima norma habeantur. Nam *maxima cautio adhibenda est in eo praecipue ut idonei clerici in Seminarium recipiantur, neque solum ingenium et habilitas ad studia litterarum functionesque ecclesiasticas spectetur, sed multo magis morum ac disciplinae in singulis ratio habeantur. Quales enim* [borromianum sapientissimum effatum Moderatores omnesm eminerint] *hi fuerint qui admittentur, tales prorsus in Seminario fructus exsistent* [1]. Quopropter *invigilent summopere Episcopi in admittendis alumnis, maxime si extranei sint et ab aliis institutis profecti* [2].

XXV. — Sedulo animadvertant, quaeso, hi ad quos pertinet quarum rerum rationem habendam in hoc negotio secundo loco Sanctus Archiepiscopus doceat: *morum*, videlicet, *ac disciplinae. In delectu* enim *eorum qui clericali militiae nomen dare postulant summa sollertia est adhibenda in exploranda eorum indole ac moribus, sed id potissimum procurandum ut pietate et integritate vitae commendentur* [3]. Enimvero si illi in Seminario admittantur quorum mores a parentibus posthabiti fuerint, difficilis admodum illorum ceterorumque condiscipulorum institutio, quin etiam haud raro omni fructu vacua sterilisque effici consuevit. — Quanto autem magis huiusmodi morum innocentia hisce nostris temporibus in pueris quoque desideratur, tanto maiore prudentia advigilandum est ut in candidatis omnino sit comperta [4]. Quapropter *quantum fierit poterit seligant episcopi adolescentulos... parentibus ortos probis et piis, quorum christiana nobilitas religionis successione sit venerabi-*

[1] *Institutiones ad universum Seminarii regimen spectantes*, Par. I. Cap. 9.
[2] *Concil. Prov. Venet.* [a. 1859] Cap. XVI.
[3] Id. Ibid.
[4] Cfr. *Concil. Prov. I Westmonaster.* [1852]. XII.

*lis*[1]. — Ut vero probe noscat quis qualisque sit qui se in sortem Domini vocare testetur, Moderator nihil non experiatur, et ab illis quibus puer notus sit plurimis probisque viris, quidquid de anteacta vita norint in primis sedulo exquirat. *Rector* [Divus sic Carolus Borromaeus admonet] *de eius vita si in civitate habitet, a praefecto portae aliisque probatis viris; sin externus sit a Vicario Foraneo aliisque fide dignis testibus secreto cognoscat*[2]. Haec si, quacumque seposita praeiudicata opinione, sedula perficiantur cura, puerum vel iuvenem non talem esse qualis a sacro postulatur Seminario haud raro docebunt. Tunc maxima utique cum prudentia, sed cum animi quoque fortitudine indignum vel ineptum ab ingressu prohibere omnino necesse est. Secus si quis egerit quum per fallacem perniciosamque misericordiam a sanctissimo gravissimoque officio defecerit, non quidem Seminarii utilitatem, non quidem Ecclesiae bonum, sed utriusque infandum demun exitium spectasse dicendus est. *Mature igitur perpendantur candidatorum pietas, propensio ad sacerdotium, urbanitas ac indoles, et ii tantum admittantur qui requisitis dotibus vere praediti sint*[3]. – Id autem consulentes non eam spiritualis vitae perfectionem requirere arguimur quae in ipsis Sacri Seminarii septis tyroni assequenda proponitur, sed tantum cavemus ne quominus hanc olim adipiscatur quid in ipsis candidatis positivo impedimento sit. Quapropter non plane ipsa perfectio vitae, sed saltem *quaedam ad statum ecclesiasticum naturalis inclinatio*[4] ab illis afferenda et in illis requirenda est.

XXVI. — Praeterea quum ex SS. Tridentinae Synodo praescripto *nullus debeat ordinari qui, iudicio sui Episcopi, non sit utilis aut necessarius suis Ecclesiis*[5], cavendum est saltem ne numerus alumnorum multo maior sit quam qui dioeceseos utilitati satisfecerit. Nam prospiciendum quoque est necessitati quae ex probabili sacerdotum viventium futura

[1] *Concil. Prov. Ravennat.* [a. 1855] Cap. VI, 2.
[2] *Institut.* Par. I. cap. 9.
[3] *Concil. Prov. Albiens.* [a. 1850]. titul. VII., decret. II, 2.
[4] Decr. S. C. EE. et RR. P. II. *Praef.*
[5] Sess. XXIII. *de Reform.* Cap. 16. – Cfr. Pius PP. X, Encycl. *Pieni l'animo,* die XXVIII iul., 1906; *Decret. Congr. Concil,* die XX Iul. 1898, n. 4.

morte, vel ex recessione quorumdam alumnorum non susceptis ordinibus, rationabiliter pertimescenda est. — Insuper, ne bonus imminuatur Seminarii spiritus expedit ut numquam tot alumni eodem anno recipiantur quot dimidium ceterorum clericorum numerum exsuperent. Id enim si sedulo caveatur novorum consiliorum necessitas haud apparebit, sed novi alumni commode ceterorum usus et consuetudines legibus normisque firmatas addiscent, atque consuetus rerum ordo non immutabitur, quae immutatio plane absque rectae disciplinae detrimento fieri non solet.

## § II. — Institutionis proprius locus est Seminarium.

Summae rerum. — XXVII. Recta clericorum institutio in Sacris Seminariis tantum, ut plurimum, perficitur. — XXVIII. Quaenam exceptiones huic regulae fieri possunt. — XXIX. Antiqua et nova ad rem disciplina. — XXX. Quanto tempore in Seminario clericos degere expediat.

XXVII. — Salebrosam magnique momenti quaestionem illam attingimus utrum nimirum omnes singulosque clericos inter sacra Seminarii septa institui expediat; quod ut fiat omni qua possumus auctoritate contendimus. Numquam enim sacrorum alumnus apud familiares et domesticos suos ad ecclesiastica munia et officia rite institui poterit. Nam si genere domoque conspicuus fuerit, otiis, inflatis laudibus, fatuisque ominibus undique praecinctus, quae tantum ad pompam aut vanitatem sint prosequetur. Si vero rei familiaris angustia prematur, duros inter labores, vix sacris doctrinis et institutis operam dare queat qui nec animi tranquillitatem, nec tempus, nec efficacissimos laudum stimulos apud suos inveniat. Ceterum nobilis æmulatio, lumina mentis affectusque ignes, exemplorum denique bonorum salubris efficacia, sacra tantum inter Seminariorum septa florescere et augeri consuevere. Hic enim tantum ubi discipli-

nae norma, sollicita Institutorum cura communis, conversatio omnia rei impedimenta sedulo praecavent, durum quod natura contigit ingenium flectere, suave obedientiae iugum suscipere, fratres omnes uno caritatis affectu complecti, Deum nobis praesentem ubique sentire et filiali pietate prosequi discimus. Propterea ut omnium clericorum institutioni in sacris Seminariis tantum studeretur constituit Tridentina Synodus, nec aliam esse laudati Concilii mentem ullus umquam doctorum arbitratus est. — At vero, sicut ceteris legibus ita et Tridentinis institutis derogari coepit, pluriesque temporibus nostris contingit ut quidam sibi manus imponi postulent qui, aulicis potius quam sacris artibus eruditi, Seminarium a longe tantum viderint. Quos sane numquam Ecclesia desideravit quae nonnisi sanctos sibi quærit et doctos ministros.

XXVIII. — Optimum profecto esset clericos omnes a prima ipsa aetate seorsim a ceteris omnibus adolescentibus sacris imbuere moribus; at multas apud gentes Seminaria quae parva dicuntur aut nulla sunt omnino, aut ceteris quoque pueris qui sacerdotio non destinantur aperta. Hinc generali ratione de his tantum Seminariis agere possumus quae maiora dicuntur ubi sacrae praesertim doctrinae docentur. Quod vero ad haec Seminaria attinet animadvertimus in primis Episcopi plerumque esse clericos iubere ut ibidem certum ante ordinationem tempus degant, quo ipse Ordinarius de eorum vocatione certior fiat. Quod si nonnullos domi relinquere oporteat, numquam ratione paupertatis vel nobilitatis id fiat, sed tantum quum certa spes erit clericum a saeculi contagio immunem evasurum fore. Multo profecto magis, quam quod opus esset, sacrorum Antistites ad huiusmodi indulgentiam concedendam sollicitantur; at saltem his petitionibus ea lege adnuant ut arctior omnino disciplina servetur quod ad clericos attinet qui in maioribus [ut aiunt] sacri ordinis gradibus sint constituti. His sane adolescentibus perraro permitti potest ut in religiosorum quoque domibus, quin dicam de privatis, vivant; quum nimia libertas qua ibidem, interdum, fruuntur, in morum etiam licentiam atque, nonnumquam, in sacrae

suae vocationis extremam perniciem, [prout usus et experientia testantur] facile concedat.

XXIX. — Haec nostra asserta Benedictus XIV quoque ex veterum institutis comprobat his fere rem conficiens: *Quicumque ecclesiasticis officiis ab Ordinariis destinabatur educationem suscipere debebat in convictu ac veluti Seminario Episcopi, qui hac ratione de illius indole, moribus, vocatione et progressu optime certior fiebat*[1]. Ac etiam Augustino auctore confirmat qui haec iubet: *Certe ego sum qui statueram, sicut nostis, nullum ordinare clericum nisi qui mecum vellet manere; ut si vellet discedere a proposito recte illi tollerem clericatum priusquam desereret sanctae societatis promissum coeptumque propositum.* Atque ad futura praecavenda sententiarum discrimina strenue addit: *Novi enim quod si aliquem hoc facientem degradare voluero non deerunt patroni, non ei deerunt suffragatores et hic et apud Episcopos qui dicant: Quid mali fecit? Non potest tecum tolerare istam vitam: extra episcopatum vult manere et de proprio vivere, ideo non debet perdere clericatum. Ego scio quantum mali sit profiteri sanctum aliquid nec implere: Vovete, inquit, et reddite Domino vota vestra. Et melius est non vovere quam vovere et non reddere*[2]. Ceterum idem suavissimus S. Franciscus Salesius clericis suis semper auctor fuit ut in Seminarium cogerentur, hancque suam mentem synodalium quoque constitutionum auctoritate firmavit, prout illius cathedrae heres aperto meminit. — Tale tantumque testimonium, antiquorum quoque Conciliorum Sacrorum historiae maiestate cumulare licet. Ab ipsis enim clericalis institutionis exordiis Concilium Toletanum II decrevit: *De his quos voluntas parentum a primis infantiae annis clericatus officio manciparit statuimus observandum ut mox quum detonsi vel ministerio lectorum contraditi fuerit, in domo Ecclesiae, sub episcopali praesentia, a Præposito ibi debeant erudiri*[3]. Concilium Toletanum IV

[1] *De Synod. dioeces.* lb. XI. cap. 2.
[2] Serno 49 *de diversis.*
[3] Cap. I.

statuit: *Si qui in Clero puberes aut adolescentes exsistunt, omnes in uno conclavi atrii commorentur ut lubricae aetatis annos non in luxuria, sed in disciplinis ecclesiasticis agant, deputati probatissimo seniori quem et magistrum disciplinae et testem vitae habeant*[1]. — In Concilio Toletano VI praescribitur duplex aperiendum Seminarium: alterum in ipso episcopali palatio, alterum in aedibus Ecclesiae proximis, ubi clerici iuniores omnes sub disciplina degant sanctissimi senis cuius oculos nec ad temporis punctum effugere[2]. — Insuper SS. D. N. Pii PP. X litterae ad Em. Urbis Vicarium datae haec iubent: *Omnes clerici tum romanae dioecesis, tuum aliorum Italiae dioeceseon qui Romam a suis Ordinariis studiorum causa mittuntur, in Seminario aut in ecclesiastico collegio vivant*[3]. Denique decreto Congreg. EE. et RR. [Italicis praesertim pro Seminariis editum] cautum est: *Ne permittant Episcopi suorum dioeceseon alumnos privatim sive extra sui Seminarii septa studiorum curriculum dimetiri*[4].

XXX. — Quanto autem tempore antequam alumnus sacris ordinibus augeatur hunc in Seminario degere oporteat ex iis quae litteris S. D. N. Pii X ad Em. Almae Urbis Vicarium datis praescribuntur colligi potest. *Nemo ad sacrum presbyteratum ordinem promoveatur qui quartum theologiae annum rite non expleverit... aut integro saltem triennio vel in Sacro Seminario, vel in alio clericorum collegio haud sese exercuerit*[5]. Sub artic. autem XIII normarum S. Cong. EE. et RR. auctoritate praescriptarum etiam legitur: *Nullus, licet aetatem a Conc. Trid. statutam attigerit, ad subdiaconatum promoveatur nisi tertium annum S. Theologiae expleverit; diaconatum ante Pascha quarti anni, presbyteratum ante exitum quarti eiusdem anni ne suscipiat*[6]. Quapropter quadriennio saltem tempus de quo quaeritur produci oportere colligimus, quum tamdiu curriculi theologici

[1] Can. XXIII.

[2] Can. XXI-XXII: - Cfr. *Concil. Rom.* Tit. 39. Cap. 29; *Concil. Turon.* III. Cap. XII; *Concil. Rav. Urbin.* Cap. 3, ecc.

[3] Epist. *La ristorazione d'ogni cosa in Cristo*, die V Mag. 1904.

[4] Par. I, Cap. I, Artic. 8. - Cfr. *Concil. prov. Quitense* I [a. 1863] decret. VIII, 4.

[5] Epist. cit. n. 8.

[6] Par. I. Cap. I.

studiis insistendum sit. Ceterum ad hoc ut clerici vocatio ad sacra munia et officia in comperto ponatur, ac idoneis auxiliis subsidiisque instruatur, istud temporis intervallum necessarium atque etiam, ut plurimum, sufficiens erit.

## § III. — De Clericis extradioecesanis.

Summae rerum. — XXXI. An clerici extra sui seu diocesani Seminarii septa unquam institui possint. — XXXII. Quae ad rem praeceperit S. D. N. Pius X. — XXXIII. Norma est ut exceptiones nonnisi parcissime concedantur. — XXXIV. Qua ratione exceptio concedenda sit: ubi S. C. C. decret. de incardinatione et excardinatione per partes exponitur.

XXXI. — Paulo antea praeceptum illud laudavimus: *Ne permittant Episcopi suorum dioecesis alumnos... extra sui seminarii septa studiorum curriculum dimetiri*[1]. Si autem huius praecepti litteram rigido omnino consilio interpretemur, clericos tantum in dioecesibus suis excoli studiorumque curriculum dimetiri posse arguendum foret, atque Episcopos tum quominus extradiocesanos alumnos recipiant, tum etiam ne lectissimos sui Seminarii tirones Romam vel alibi mittant [ut in scholis ibi ad rem institutis impensius sacras doctrinas excolant atque iis etiam tradendis idonei fiant] omnino prohiberi inferre forsan oporteret. Verum quod ad primum pertinet negotium huic iam ea occurrere videntur [saltem indirecta ratione] quae art. 85 huius decreti praescribuntur, videlicet: *Alumni qui absolutis inferioribus scholis in aliquo Seminario aliud adeunt ad studia superiora aggredienda, documenta expletorum studiorum ac bonae vitae rationis a Rectore dimissa afferant*[2]. Ceterum ex privatis atque peculiaribus notitiis nobis constat animum suum legislatores numquam eo intendisse ut Episcopos arcerent quominus nonnullos suarum dioecesarum alumnos in Pontificias [quas dicunt] Facultates Romae vel alibi constitutas penitioris scientiae causa mitterent. — Si quibusdam pecu-

[1] Par. I, Cap. I, artic. 8.

[2] Pars II, Cap. II, art. 85.

liaribus praescriptionibus pro nonnullis Romanis Institutis latis vis universalis legis decernendum foret, Romam nonnisi illos alumnos mittere licere qui superioribus studiis operam essent navaturi.

XXXII. — At vero in his rerum adiunctis servanda fere ubique sunt ea omnia quae sapientissime SS. D. N. Pius X per se ipsum [1], vel per Almae Urbis Vicarium [2], pro Romana dioecesi praescripsit quorum summa haec est:

1. Hi tantum alumni qui praecipuo ingenio atque ecclesiastica pietate praediti insuetam dioecesi suae utilitatem certa veluti spe pollicentur mittantur.

2. — Haud satis erit eos licentia discedendi ab Ordinario muniri, sed expressa missione, scripto data, Romam mittendi sunt.

3. — Ab Ordinariis qui alumnos Romam mittunt despondendum est vel post exactum studiorum curriculum, vel quum alia de causa a Seminariorum Rectoribus illi dimissi fuerint, sese iterum eos recepturos.

4. — Omnes Romam advenientes Seminarium ingredi tenentur.

5. — Alumni vel ex exteris gentibus, vel undique ex orbe christiano advenientes suae gentis in collegiis vivant, vel, quando locum ibi non adinvenerint, unum aut alterum ex urbanis Seminariis adeant.

XXXIII. — Illud tamen ultro concedimus summopere curandum esse ut fere omnes clerici suam institutionem in suis Seminariis perficiant. Quandoquidem ex huius praesertim consilii neglectu disciplinae ruinam ac nonnumquam etiam rei familiaris dioecesani Seminarii angustias et interitum repetenda esse quotidiana experientia et usus docuere. Inde etiam fit ut aemulationis vis et efficacissima virtus penitus imminuatur, atque non minoris damni occasio exoritur ex eo quod diu Episcopi sui curas et vigilantiam hi

[1] Epist. *La ristorazione d'ogni cosa in Cristo*, die V aug. 1904.
[2] Die V Mart. 1904.

clerici effugiant quos tandem, ut tuta conscientia sacris augere queant ordinibus atque debitą prudentia rerum divinarum ministerio addicere possit, Pastor probe noscere ac cognoscere debuerit.

XXXIV. — Nihilominus quum necessitas hac lege maior appareat atque ad contrarium consilium peculiaria rerum adiuncta ineundum adigant, ea saltem sedulo praecaveantur quae quodlibet detrimentum prudenter arcere possint. Ad rem vero generales primum tradere regulas iuvat, ac tres deinde casibus peculiaribus normas aptas spectare.

*A*) Regulae generales sunto:

1) Nullus extradioecesanus, laicus sive clericus, ulla de causa, absque scripta Ordinarii sui venia in Seminarium non suum excipiatur [1].

2) Episcopus antequam extra-dioecesanum subditum in Seminarium suscipiat, de eius moribus ac studiis ab Ordinario dioeceseos originis inquirere teneatur [2].

3) Antequam extradiocesanus excipiatur dispiciat Episcopus cuiusmodi fuerit Seminarium unde ille discesserit, disciplinae rationem et observantiam perpendatque sedulo *veras* causas cur illud deseruerit.

4) Huiusmodi extra-dioecesani antequam rite excipiantur [experimenti causa] trimestri vel annuo tirocinio exerceantur.

5) Huiusmodi admissiones neutiquam crebrae sint, prout diuturna experientia cavendum docet atque prudentia suadet.

*B*) Leges peculiares. — Variae sunt pro tribus casibus qui sequuntur:

I Casus. — Si ex iustis ac legitimis causis Episcopi sui iudicio comprobatis, suum Seminarium ita quis linquat ut suae tamen dioecesi semper incardinatus [ut dici solet] maneat, tunc:

[1] *S. Congr. Concil.* decret. *Vetuit.* die XX Dec. 1905 n. 1.
[2] Id. Ibid.

*a*) Episcopus suus seu Ordinarius cum alio Episcopo rem integram gerat, neque tironem aut eius patronos, sese inaudito, quid moliri sinat.

*b*) Legitimus Ordinarius, pro rerum adiunctis, discedenti tironi hoc alterumve Seminarium praescribat, cui tamen amplissima doctrinae et disciplinae laus fuerit.

*c*) Ordinarius ad quem tiro pertinet crebro de suo clerico, prout ius atque officium postulat, inquirat litterisque etiam datis sciscitetur. Alumnus autem Ordinarium suum tamquam Praelatum ac Patrem verum honore atque pietate debita prosequatur.

*d*) Clericus in aliena dioecesi receptus sese in suam dioecesim reversurum, sive expleto studiorum curriculo, sive ad Ordinarii vel Rectoris nutum despondeat. — Seminarium enim sicut a legitimo Episcopo alumnum accipit, ita illum reddere tenetur. Secus peregrinantium clericorum vel sacerdotum multitudinem adspicies qui nullibi sedem fixerint, nullo ministerio debita constantia fungantur, inutiles plerumque sibi, nec ovibus profuturos. Haec quidem praecepta in Seminariis praesertim per provinciarum gentes constitutis diligenter servare oportet ut Ordinario suo subesse a prima etiam aetate alumni addiscant, neve auctoritatis illius umquam obliviscantur.

II Casus. — Si alumnus aut vocationis gratia deficiente, aut alia etiam de causa suo e Seminario dimissus fuerit, tunc:

*a*) Aliud in seminarium illum recipere omnino iure vetitum est. — *Quod si constiterit* [fuisse, videlicet, clericum olim e suo seminario dimissum] *omittens iudicare de causis aut determinare utrum iuste aut iniuste alius episcopus egerit, aditum in suum Seminarium postulanti praecludat*[1].

*b*) Quod si ignorata expulsione ille iam fuerit receptus tunc, vix ea cognita, dimit-

[1] Decret. *Vetuit.* Congr. Concil. supr cit., n. 1.

tatur. — *Qui vero, bona fide, admissi sunt eo quod reticuerint se antea in alio seminario versatos esse et ab eo deinde dimissos, statim ut haec eorum conditio cognoscetur admonendi sunt ut discedant*[1].

*c*) Quod si manendi veniam ille expetierit atque Episcopus dederit, eo ipso alienae dioecesi addicitur, neque auctus deinde sacerdotio ad suam redeundi dioecesim potestatem iam habet. — *Quod si permanere velint et ab Ordinario id eis permittatur, eo ipso huic dioecesi adscripti maneant, servatis tamen canonicis regulis pro eorum incardinatione et ordinatione: sed aucti sacerdotio in dioecesim e cuius Seminario dimissi fuerint regredi ibique stabile domicilium habere prohibentur*[2].

*d*) Clerici vero qui ex religiosis sodalitiis discesserint non antea excipiantur quam ab eorum Moderatores de illis plenam notitiam episcopus acceperit. — *Dimissi ex aliquo Religioso Instituto in Seminarium ne admittantur nisi prius Episcopus secretis litteris a Moderatoribus eiusdem Instituti notitias requisiverit de moribus, indole et ingenio dimissorum, et constiterit nil in eis esse quod sacerdotali statui minus conveniat*[3].

*e*) Qui suo e seminario pulsus in Religiosam aliquam Congregationem aut Ordinem receptus fuerit, atque deinde, sacerdos factus, illam quoque deseruerit, in dioecesim unde pulsus fuit redire prohibetur. — *Qui dimissi ex Seminariis aliquod Religiosum Institutum ingrediuntur, si inde exeant postquam sacris initiati sunt, retantur in dioecesim redire e cuius Seminario dimissi fuerint*[4].

III Casus. — Si tiro, laicus vel clericus, eo consilio e dioecesi discesserit sua ut alienae sese addiceret, tunc:

1) Si clericus ille fuerit:

[1] Decret. *Vetuit*. Congr. Concil. supr. cit., n. 2.
[2] Id. ibid.
[3] Id. Ibid. n. 3.
[4] Ib. Ibid. n. 4.

*a*) Excardinationem [quam dicunt] fieri non licet nisi iustis de causis; nec effectum undequaque sortietur nisi incardinatione in alia dioecesi executioni demandata[1].

*b*) Incardinatio facienda est ab episcopo non oretenus, sed in *scriptis*, *absolute* et *in perpetuum*, idest nullis sive expressis, sive tacitis limitationibus; ita ut clericus novae dioecesi prorsus mancipetur, praestito ad hoc iuramento ad instar illius quod Constitutio *Speculatores* pro domicilio acquirendo praescribit[2].

*c*) Ad hanc incardinationem deveniri non potest nisi prius ex legitimo documento constiterit alienum clericum e sua dioecesi fuisse in perpetuum dimissum, et obtenta insuper fuerint ab episcopo dimittente, sub secreto si opus sit, de eius natalibus, vita, moribus ac studiis opportuna testimonia[3].

*d*) Hac ratione adscripti possunt quidem ad ordines promoveri. Quum tamen nemini sint cito manus imponendae, officii sui noverint esse Episcopi, in singulis casibus perpendere, an, omnibus attentis, clericus adscriptus talis sit qui tuto possit absque ulteriore experimento ordinari, an potius oporteat eum diutius probari. Et meminerint quod sicut *nullus debet ordinari qui iudicio sui Episcopi non sit utilis aut necessarius suis Ecclesiis*[4], ita pariter nullum esse adscribendum novum clericum nisi necessitate aut commoditate dioecesis suadente[5].

*e*) Quod vero ad clericos diversae linguae et nationis oportet ut Episcopi in his admittendis cautius et severius procedant ac numquam eos recipiant nisi requisiverint prius a respectivo eorum Ordinario et obtinuerint secretam ac favorabilem de ipsorum vita et mo-

[1] Decret. Congr. Concil. 20 Iul. 1898, n. 1.
[2] Id. Ibid. n. 2.
[3] Id. Ibid. n. 3.
[4] *Concil. Trid.* Cap. XVI, Sectio 29, *de Reformatione.*
[5] Congr. Concil. decret. cit. n. 5.

ribus informationem, onerata super hoc graviter Episcoporum conscientia [1].

II) Si laicus ille fuerit:

*a*) Dimissio ab Episcopo proprio ex iusta causa, in *scriptis* et pro *determinata* diocesi concedatur [2].

*b*) Acceptatio ne fiat nisi servatis omnino regulis quae de clericis incardinandis iam sub num *b*, *c*, *d* et *e* recensentur; et servato quoque decreto *Vetuit* quoad alumnos a seminariis dimissos [3].

*c*) Iuramentum ad tramitem Constitutionis *Speculatores* requisitum praestandum est ante clericalem tonsuram. Verum quum obligatio permanendi in dioecesi non propria eique perpetuum inserviendi ante maiorem aetatem non sine difficultatibus et periculis suscipi possit, caveant Episcopi ne ad clericalem tonsuram admittant qui aetate maior non sit [4].

Haec sapientissime S. Sedes consuluit ut mala plurima ab ecclesiastica disciplina procul arcerentur, quae graviores quoque luctus ac damna attulerant Ecclesiae; ea igitur negligere aut longe posthabere nefas coram Deo et hominibus erit.

## § IV. — De candidatorum intentione sese Deo in perpetuum mancipandi.

Summae rerum. — XXXV. Quanti sit facienda et quae sit haec intentio. — XXXVI. De alumnis qui hac intentione non polleant [seu de externis] aut nullatenus, aut quam cautissime cum clericis simul instituendis.

XXXV. — Non minora sane detrimenta quam quae ex alumnorum extradioecesanorum facili admissione afferuntur timenda sunt si in candidatis etiam dioecesanis quae a Tri-

[1] Decret. CC. cit. n. 6.
[2] Id. ibid. n. 7.
[3] Decret. *De Excardinat. et Ord.*, S. C. Concilii, die 24 nov. 1906.
[4] Id. Ibid.

dentina Synodo omnino requiruntur desint, maxime autem si in illis intentio sese Deo in perpetuum mancipandi desideretur. Quapropter ut hi tantum *in hoc collegio recipiantur... quorum indoles et voluntas spem afferant sese ecclesiasticis ministeriis perpetuo inservituros* [1] sapientissime Tridentini decrevere Patres. Idque Congregationis EE. et RR. decreto omnino obfirmatum est in quo etiam legimus: *Ex hoc tamen praesumendum non est, praesertim si adhuc iuniores tirones sint, certum propositum, sed oportet ut saltem quandam simplicem ostendant propensionem in statum ecclesiasticum* [2]. Hoc totius clericorum institutionis princeps praeceptum, hoc veluti fundamentum totius spiritualis Seminarii aedificii habeatur. *Quare* quum *seminaria ad id tantum constituta fuerint ut ad Christi ministeria juvenes instituant* [3]*... suo palam consilio serviant, neque juvenes ad aliud quam ad sacerdotium erudiant et ad ministerium Dei* [4]. *Idcirco nulla ratione permittant Episcopi ut seminarii aedes ulli pateant nisi iis adolescentibus qui spem afferant sese Deo per sacros ordines mancipandi* [5]. *Quorumdam* enim *laicorum educatione non satis compensatur malum ex minus perfecta iuvenum ad clericatum candidatorum institutione proveniens* [6]. *Experientia nos docuit multorum vocationes, quamvis ab initio satis firmas, fuisse ex hoc consortio labefactatas ac demum omnino corruisse. Sed etiam in eos qui perseverant infunditur aliquando saecularium rerum nimia cupiditas, quae zelum Dei et animarum imminuunt et a studiis sacris ad leviora abducunt* [7]. Quae omnia non spiritui tantum sed litterae quoque Tridentini Concilii consentiunt omnino, a plurimis tum singularum gentium, tum provinciarum Conciliis iterum iterumque obfirmatae. Quum vero *qui ad civilia munera institui volunt alias, si res sinunt, obtineant aedes quae convictus vel collegia episcopalia*

[1] Sess. XXIII, Cap. XVIII, *de Reform.*

[2] Pars II, *in Prolog.*

[3] Pius PP. X, Encycl. *Pieni l'animo*, die XXIX Jul. 1906.

[4] Leo XIII. Epist. *ad Episcop. Ital.* die VIII sept. 1902.

[5] Pius PP. X. Encycl. *Pieni l'animo*, ad Italiae Episcop. die XXIX iul. 1906.

[6] *Concil. Prov. Albiens.* [a. 1850], Titul. VII, Decret. II, n. 1.

[7] *Concil. Prov. III, Westmonasteriens.* [a. 1859], Par. II, n. 1.

*nuncupentur* [1], nec necessitas universae christianae institutioni iuventutis consulendi nullum negotium facessere poterit. Quapropter *invigilent Parochi ne religiosi parentes ad sanctuarium dirigant et clericalibus studiis applicent e filiis suis quos pio vel quandoque humano acti motivo cuperent sacerdotio insigniri. Hos ergo vehementer ab huiusmodi proposito dimoveant ubi nullum in pueris supernae vocationis signum deprehendent. Si vero quosdam alios nacti fuerint qui pro nativa pietate, indole et ingenio a Deo selecti videantur ut sacris ministrent altaribus, in ipsis pretiosum illud vocationis germen sedulo foveant, eos ad studia incitent; posteaque de eorum per vacationum tempus agendi ratione, vita moribus seminariorum Moderatoribus certos ex conscientia facient quibus in definienda ardua vocationis quaestione adjumento sint* [2].

XXXVI. — Nec satis: nam si haud omnes tirones diu noctuque in Seminario degant institutionis ecclesiasticae finis minime assequitur, ideo alumnorum externorum susceptio omnino vitetur. Quando vero [quocumque necessitatis titulo] a Seminarii scholis externos alumnos excludere non datur, tunc S. C. Concilii solet maximam vigilantiam cautionemque episcopis inculcare ne quid exinde detrimenti clerici in Seminario commorantes ullimode patiantur. Idque praesertim veluti legem servari mandat ut alumni externi, sive in scholis, sive in sacello separata subsellia occupent, et ita segregati sint ut nullam cum internis tironibus consuetudinem habeant [3]. Quae omnia a S. C. EE. et RR. decreto obfirmata fuere scribens: *Singulari studio curandum est ut alumni a frequentia iuvenum ad sacerdotium non spectantium separentur si scholas petant alumni quidam externi* [4]. Quod tamen [quotidiana experientia teste] ad hanc consuetudinem praecavendam haud, ut plurimum, sufficit.

[1] Leo XIII. *Bulla de re sacra in Insulis. Philipp.* die XVII sept. 1902.

[2] *Conc. Prov. Albiens* [a. 1850] Titul. VII, decret. II n. 3; Cfr. *Conferenze dell'Episcop. Siciliano* [a. 1906] *delib.* 5; *Concil. Prov. Urbinat.* [a. 1859] tit. VIII, n. CLV.

[3] Cfr. Lucidi, *De visitat. sacror. limin.* vol. II, Cap. VI. § 1-2.

[4] Par. III, Cap. III, § 1, art. 114.

## § V. — De eorum aetate.

Summae rerum. — XXXVII. Quaenam requiratur ex lege Tridentina. — XXXVIII. Legis tridentinae varia interpretatio. — XXXIX. De aetatis excessu.

XXXVII. — Quod secundo loco canones Tridentinae Synodus, at etiam optima ratio clericalis institutionis praescribunt, canonica continetur candidati aetate. De ea maxime optandum est ut in tyronibus duodecimum annum non multo excedat, atque ea demum sit quae animi sensuum ac affectuum efficacem et opportunam moderationem permittat; quam institutionem obfirmati iam provectioris adolescentiae mores et animi consuetudines maxime praepedire consuevere. Propterea constituerunt laudatae Synodus Patres ut *in hoc Collegio recipiantur qui ad minimum duodecim annos*[1] [habeant] his rem proponentes: *Quum adolescentium aetas nisi recte instituatur prona sit ad mundi voluptates sequendas, et nisi a teneris annis ad pietatem et religionem informetur, antequam vitiorum habitus totos homines possideat, numquam perfecte ac sine maximo ac singulari propemodum Dei Omnipotentis auxilio in disciplina ecclesiastica perseveret, Sancta Synodus statuit ut singulae Cathedrales,* etc.[2] Poüan vero haec ita illustrat: *Ex egregio Gregorii Magni dicto prima hominis aetas infantia est in qua sine peccato etsi vivat nescit nihilominus fari innocentiam, qua circumornatus incedit, dum adolescentiam nactus valet iam dicere quid velit: consequenter aetas illa prima est in operatione vere et proprie libera, qua impuberes clero adscripti uno debeant asylo congredi, ut lubricae tempestatis annos, non in luxuria disperdant sed primis ecclesiasticae disciplinae agant excubiis... Quodque respiciens Sancta Synodus, medium aliquem, inter pueritiam, quae a septenis inchoatur et quatuordecim versus annum explicit, terminum amplexa est*[3]. Frances autem pio reputat animo: *Nisi mea fallit opinio in duode-*

[1] Decret. cit.
[2] Ibid.
[3] *De Seminario Clericorum*, Par. II, cap. III.

*cimo anno constituit* [Sancta Synodus] *utpote quae aetatem hanc ad discendum aptiorem fore firmius crederet, exemplum praebente ipso Christo Domino, qui anno aetatis suae humanae duodecimo, medio inter doctores in templo sedens, nec docens sed interrogans dignatus est inveniri*[1]. *Itaque* [monet Lucidi] *providentissime mater Ecclesia filios suos qui in sortem Domini vocantur, quanta maxima diligentia potest, a primis unguiculis bonitatem, disciplinam et scientiam edoceri curat*[2]. — Sint itaque tirunculi duodecim saltem annorum aetate; nam eam si nondum expleverint adeo sunt tenelli ut sola mater plenam eorum curam suscipere possit: Ecclesia autem adolescentibus scholam, non vero hospitium lactantibus Seminaria instituens comparavit. Quamobrem eadem semper, vel ante Tridentinam Synodum, Ecclesiae mens in hac re fuit quam Concilii quoque Toletani decreta docent[3]. — Qua autem sollicitudine s. Carolus de candidatorum aetate certior fieri studuerit comprobant quae scribit: *Cum quis in examen venerit eius aetas potissimum spectetur*[4]; ac propterea voluit ut *omnes aetatis testificationes scriptas ac... probatas afferant, quae nisi fideiussoris subscriptione signatas exhibeant ne recipiantur*[5], et rursus iubet ut de *candidatorum aetatate sedulo investigetur*[6].

XXXVIII. — At equidem Tridentinis verbis *ad minimum* varia potestas est, ut iamdudum Lucidi animadvertit scribens: *Quod pertinet ad hanc Patrum Tridentinorum dispositionem circa aetam duodecim annorum quaeri potest an dictio ad minimum ita ponatur ut illud verbum aequivaleat particulae saltem, [ceu aliquando fit penes latinos], ac finem significet ultra quem pueri nequeant admitti; an contra pueri quorum aetas excedat duodecimum annum accipi debeant, et ea dictio ad minimum exprimat principium ex quo aetas computanda est. Prima opinio ex eo suaderi videtur quod Concilii Tridentini Patres alumnos excipi praeceperint a teneris annis, quando vitiorum habitus eos nondum possederit. At si ultra duodecimum annum alumni admittantur iam*

[1] *De Eccles. Cathedr.*, cap. 18, n. 57.
[2] Op. cit., vol. II, cap. 6, § 1, n. 4.
[3] Cfr. Harduin, *Collect. Concil.*, t. II, col. 11, 39.
[4] *Instit.* Par. I, cap. 6.
[5] Ibid., cap. 10.
[6] Ibid.

*praetergressa erit aetas in qua innocentia, ut plurimum, evanescit, et malitiae aditus patefactus sit. Non ita pridem huiusmodi quaestio S. Cong. Conc. resolvenda delata est in Tarentina* [1], *in qua cum Metropolitanum Capitulum ius obtinuerit eligendi duos alumnos in seminario dioecesano Tarenti ad duo gratuita loca perfruenda, unusque locus ex hisce duobus vacasset, plures pueri eligendi sese obtulerunt, unus nempe annorum tredecim, alius annorum novem, alius octo, aliique minoris etiam aetatis. Itaque canonici Tarenti S. C. sciscitati sunt, an in urnam electionis is tantummodo qui tredecim annos attigerat foret immittendus, an vero etiam reliqui. Porro Eminentissimi Patres rescripserunt: Servetur dispositio Concil. Trid.; mihique aliunde innotuit eam fuisse Emorum Patrum mentem, quamvis non deessent aliqui cordati viri qui aliter autumarent, ut verbum ad minimum intelligendum esset iuxta sensum secundae opinionis, idest, quod illi qui annum duodecimum non attigissent ab urna excipiendi plane deberent* [2]. — Eadem insuper sententia de verbo *ad minimum* et S. Carolo Borromaeo videtur probata fuisse: *Quindecim annos nati* [ait ille] *primae classis grammatices idonei sint* [3]. Praeterea Vir Sanctus addit: *Qui decimum sextum compleverint apti sint qui saltem gymnasio humanitatis adscribantur. Qui provectiores fuerint si decimum octavum annum attigerint poterunt admitti ad primam classem humanitatis; qui vero aetatem excesserint apti sint iis classibus quae supra dispositae sunt ubi de studiis agitur* [4]. Nostris diebus haec omnia [maiore vel minore sedulitate] observantur ubique, si tantum ea demas magnarum dioecesum Seminaria in quibus puerorum quoque scholae ad prima literarum rudimenta tradenda sunt constitutae. Sed hae domus [quippe quae Tridentino decreto haud consonae] veri nominis Seminaria non sunt.

XXXIX. — De aetatis excessu cuius caussa iam alumni [ut plurimun] excipiendi non sint, variae consuetudines pro dioeceseon aut regionum varietate vigent. Qua-

[1] *Alum. Seminar.* die VI mag. 1865 *per sum. prec.*
[2] Op. cit., cap. 6, § 1, n. 11.
[3] *Institut.*, part. I, cap. 9.
[4] Ibid.

mobrem hac quoque in re cavendum est ne quae iamdiu viguere facile immutentur; locorum enim necessitates una tantum Ordinarium auctoritas aequi aestimare potest. Ubi vero nihil huiusmodi sit constitutum illud enixe commendamus ut omnes clerici integrum studiorum ecclesiasticorum curriculum in Seminario percurrant. Hoc enim ad custodiendam alumnorum pietatem in Deum et innocentiam, ad rectam sensuum affectuumque institutionem, ad eorum denique vocationem comperiendam, vix non necessarium putamus. Undecimae autem horae vocationes etsi veraces ac tutae appareant, multos plerumque abusus, ecclesiasticae disciplinae et communi vitae rationi contrarios parere consuevere. Huiusmodi enim pueri centum annorum sacerdotum munia et officia lento conatu addiscunt, atque communi regulae serius aptantur, qui etiam, prohibente aetate ne studiorum curriculum integrum ut par esset dimentiantur, necessariam sacerdoti scientiam summis labiis ita delibant ut perraro mediocris etiam doctrinae laudem adsequantur. *Senes enim atque indoctos quis sperat* [ait S. Alphonsus] *optimos Ecclesiae operarios futuros ?* [1] Quamvis S. Carolus Borromaeus [ut ex dictis liquet] huiusmodi vocationes non minoris faciat momenti, tamen, ut plurimum, cavendum sedulo est ne quis post decimum sextum expletum aetatis annum in Seminarium admittatur [2]; ac ita demum ut aequalium suorum studia persequi valeat, ne ludibrio aut admirationis sodalibus eorumve etiam parentibus fiat. *Quum vero provectioris aetatis admittendos circumstantiarum natura suadeat, mature perpendant Episcopi num inspecto vivendi et conversandi genere in antecessum ab iis servato, suspicari nullo pacto liceat ipsorum mentem esse aliquo errore depravatam* [3].

[1] *Homo Apostolicus*, cap. 8. — Cfr. *Synod. prov. Neogranatens.* [a. 1868] tit. VIII, Cap. II.

[2] Cfr. *Synod. Prov. Neogranatens.* [a. 1868], titulus VIII, cap. 2.

[3] *Consess. Episcop. Umbriae* [a. 1849] tit. IX.

## Articulus II.

### De Disciplina advigilandi

#### PROOEMIUM.

Qui sapienti sedulaque manu septis in hortis delicata florum munera alit excolitque non eo tantum animo ac labore contendit ut ab illis procul arceantur maligna ac silvestria arbusta, sed sollicita prudentia et studiosa cura advigilat ne contrariis humoribus quid capiant detrimenti, neve spinis herbisque succrescentibus suffocentur; ac propterea situs, umbrae, alimenti varietatem pro cuiuscumque indole ac natura summa cum arte distribuit. Tot quidem tantisque, ac multo etiam pluribus curis et studiis, sacri Seminarii Moderator instet necesse est ut quam nuper excolendam de parentum Ecclesiaeque manibus parva ac tenella planta suscepit, sub caelestis gratiae imbribus opportune collocetur, atque malorum fere omnium inscia, pietatis in Deum et vitae sanctitatis suaviorem in dies odorem, gratissimorumque fructuum laetum auspicium halet reddatque. Quarum curarum usus et experientia vim et efficaciam apertius comprobarunt harum praecipuas quam brevissime trademus.

#### § I. — Documenta communia.

Summae rerum. — XL. Alumnorum distinctio in Seminaria *magna* et *parva*. — XLI. Contubernium cuilibet a ceteris seiungatur. — XLII. De disciplina; *a*) De advigilandi ratione; *b*) De aemulationis spiritu excitando; *c*) De silentio curando; *d*) De horario statuendo; *e*) De disciplinae amore in clericis fovendo; *f*) De animorum relexationibus; *g*) De urbanitate excolenda; *h*) De regulis. — XLIII. De spiritu sacerdotali excolendo in instructione et de libris. — XLIV. De rei familiaris commoditate curanda. — XLV. De hygienicis praeceptis observandis.

XL. — Alumni qui in superioribus gradibus curriculi studiis operam navant ab inferio-

rum scholarum tironibus omnino seiungantur, ita ut illi *maiori*, hi vero *minori* Seminario accenseantur. — Cautela haec ad clericalis institutionis utilitatem ac incrementum quam maximi refert sicut Leo felic. rec. XIII quosdam Ordinarios monebat scribens: *Consultius autem erit si adolescentes qui litteris student aliis utantur aedibus; aliis vero juvenes qui litterarum cursu emenso in philosophiam ac theologiam incumbunt*[1]. Siquidem varia clericorum aetas studiorumque in quae incumbant diversitas, cetera omnia rerum adiuncta suam quaeque institutionis rationem et conditionem sibi postulant, adeo ut per promiscuam puerorum et iuvenum in una conversationem nonnisi perperam eidem institutioni consultum sit. Prout enim sapiens nutrix cibos alimentaque pro pueri indigentia et valetudine diversa comparat, atque sicut medicus sua arte peritus unguenta et medelas aegrotantis necessitatibus et morborum rationi coaptat, ita de disciplinae et thesauro ea tantum morum ac sanctitatis praecepta adiumentaque proferenda sunt quae alumnorum instituendorum conditioni et intelligentiae accommodata sint. Atque [ut hoc unum e multis quae proponi possunt seligamus] an verbi divini praedicatio, piae lectiones vel meditationes coram pueris XII, an coram iuvenibus XXII annorum sint instituenda, utrum videlicet ad prima vitae spiritualis rudimenta, an ad officia sacerdotalia mox gerenda prospicere oporteat multum profecto interest.

LXI. — In singulis Seminariis tum si de maioribus quam si de minoribus res agatur, alumni sacrorum in plura contubernia distribuantur, quorum unumquodque non minorem XV, nec duplo majorem numerum alumnorum complectatur: quae et Tridentinae Synodi Patres videntur innuere decernentes: *Hos pueros Episcopus in tot classes quot ei videbitur divisos juxta eorum numerum, aetatem ac in disciplinae ecclesiasticae progressum*[2]. Huius causa ex praecedentibus iam constat quae per hoc praeceptum in usum propius adducuntur, adeo ut

[1] In bulla *De re sacra in Insulis Philippinis*, die 17 Sept. 1902, n. VI.
[2] Decret. cit.

cuiusque contubernii, quin dicam cuiusque alumni, necessitatum iam plena habeatur ratio. Quapropter apte in saepe laudato decreto statuitur: *In contubernia distribuantur alumni iuxta aetatem, scholam et Rectoris iudicium* [1].

XLII. — Ad disciplinam quod refert quaenam cuiusque alumni sint corporis animique vires sedulo investigetur ita ut harum rerum cognitione aditus quo sensus penitiores et affectus illius cognosci ac regi possint facilis notitia exhibeatur. Moderator vero potiusquam talem se praebeat qui ab alumno ferri ac tolerari debeat, ut illi comis, contra, gratusque in omnibus quae licent fiat summa nitatur ope. Quo pacto nullo fere negotio ad bonum quoque amplectendendum et ad virtutem excolendam illum alliciet, quum humanae conditionis sit libera ac expedita voluntate in illud ferri quod iam cordi gratum ac suave sibi persentiat. Mysterium quippe ac intima caritatis ratio eo continetur ut quis *omnia omnibus fiat ut Christo omnes lucrifaciat* [2]; caritatem autem totius clericalis institutionis fundamentum, initium, tutelam et finem esse oportet. *Meminerint Moderatores et Superiores eam esse rectae educationis legem, ut lac praebeant parvulo, nec posse Seminarii educationem melius provehi quam si alumnorum suorum infirmitatibus compatientes, paterna eos regant caritate, nec dominationis sed exemplari coercitionis praerogativa iis imperent* [3]. Insuper *disciplina ita sit ut nec nimium rigorem sapiat, nec ad perniciosam laxitatem vergat... Superiorum vigilantia in eius conservatione ita sit moderata et discreta ut nec ad minima quaeque nimis subtiliter attendat, nec animus quibusdam veluti vinculis onerosis constringat quae odium pariunt et impediunt quominus iuvenem indoles se exerant* [4]. Quapropter *alumni ab ipso Seminarii limina sciant Dei amorem esse debere totius agendi rationis principium* [5], ita ut *cura disciplinae*

[1] Par. III, Cap. III, t. l. art. 115.
[2] I Corint IX, 22.
[3] *Concil. Prov. Coloc.* [a 1863] tit. IV, Cap. III.
[4] *Concil. Prov. Venet.* [a. 1859] Cap. XVI.
[5] *Concil. Prov. Burdigal.* [a. 1850] tit. V. Cap. 2.

*dilectio sit et dilectio custodia legum* [1]. Disciplinae, studiorum, pietatisque exercita ita promoveantur *ut alumni persuasione et amore animum applicent, ne fortasse timore aut humanis respectibus moveantur, perniciosum hypocrisis habitum inducant* [2]. Ad rem:

*a*) Advigilandi ratio prudens esto at tamen sollers, ita quidem ut alumni numquam oculos unius vel alterius Institutoris effugiant. In primis autem caveatur ne tirones facile e proprio contuberni discedant, quo pacto impedietur quominus ipsi per Seminarii ambulacra evagentur cum plurimo suae rectae institutionis detrimento. Ad rem autem S. Carolus haec consulit: *Conveniant omnes ad res communes... nec inde absque venia discedant priusquam id absolutum fuerit cuius causa convenerint* [3]. Idque etiam in S. C. EE. et RR. decreto cautum fuit in quo statuitur: *Omnes alumni, nullo excepto, adstringantur diligenter actibus communibus interesse... Si necessitas aliquem alumnorum brevi tempore, sacellum, triclinium, scholam, recreationem relinquere urgeat licentia, petatur a Moderatore qui praesidet* [4].

*b*) Ad hanc regiminis suavitatem ac benignitatem mitissimam obtinendam, qua Seminariorum coelestem Urbem Jerusalem veluti imitatur certantibus Moderatoribus cum alumnis de sanctitatis studio atque de apostolicis gregique dominico utillimis virtutibus excolendis, permagni conferet si Institutores omnes adhibeant artes ac industrias, ut puta laudem ac praemia tum privatim, tum publice collata, ludos aliaque animi recreationes et oblectamenta, quibus efficacissima aemulatio foveri consuevit. Haec enim, si sincero charitatis alatur oleo atque a zelotypiae aut invidiae deterrimis vitiis immunis servetur, stimulos cuique alumnorum addet utillimos ut de virtute in virtutem progrediantur, atque ad suae vocationis finem assequendum alacriore semper animo contendant. Quare opportune in S. C. EE. et RR. decreto statutum est: *Studiorum Praefectus curet ut solemniter celebretur anni scholastici inau-*

[1] Sap. VI. 19.
[2] *Concil. Prov. Venet.* [a. 1859], Cap. XVI.
[3] *Institut.* Par. III, Cap. 3.
[4] Par. III, Cap. III, § 1. artic. 118.

*guratio ac praemiorum distributio, pro quorum adiudicatione opportunas statuat normas de consensu Rectoris et Episcopo, vel Episcoporum Collegio adprobante* [1].

*c*) Iure meritoque non tantum spiritualis vitae Magistri sed etiam prudentiores inter pedagogistas silentium observantiae patrem coelebrant. Quod si de omnibus indiscriminatim institutionis generibus valet, multo magis de iuvenili et clericali praedicandum in qua *silentium cor distractum componit, conscientiae serenitatem inducit, et ad recipiendam gratiam divinam habilem mentem facit* [2]. Quapropter vere sapienter in S. C. EE. et RR. decreto habetur: *Opportuna gravitate silentium servetur, quod si recte adhibeatur quam maxime iuvat studium ac modestiam* [3].

*d*) Quum autem nulla vere nominis institutio absque ordine in externis quoque consistere valeat cuius veluti anima horarum distributione [seu horari ut aiunt] continetur, necesse est ut nullo in Seminario horarium deficiat, ad quod conficiendum habenda ratio tum personarum, tum negotiorum, tum anni tempestatum, tum praeceptorum de hygiene adeo ut nec difficiliora onerosa evadant. *Ordo actuum communium* [in S. C. EE. et RR. decreto statutum est] *singulis horis adscriptorum statuatur tum pro diebus in quibus lectiones habentur, tum pro aliis in quibus scholae vacant: quique ordo exponatur, ut de eo omnes notitiam habeant. Peculiaris ordo statuatur pro feriis autumnalibus in quibus praeter pietatis exercitia, brevis saltem hora dicetur lectionibus et studio* [4]. Nec his legislator contentus, quin etiam egregia specimina huius ordinis dederit in quibus maxime elucet [quae etiam in ceteris huius normae partibus luculenta fit] summa peritia summaque prudentia omnium rerum quibus institutio maxime clericorum continetur.

*e*) Tandem clerici adsuescant in disciplina non quidem importabile onus sed suavissimum leneque jugum et adjumentum considerare. Nam *iuvat disciplina naturalem imbecillitatem cum in animo gignat habitum boni qui non obti-*

[1] Par. I, Cap. 2, §. 5, art: 64.
[2] S. Albertus Magnus, in *Paradiso Animae*, Par. I, cap. 31.
[3] Par. III, Cap. IV, §. 1, art. 120.
[4] Ibid.

*netur nisi eorundem actuum frequentia... Alumni eam magni existiment sibi suadentes ipsam voluntati vim non inferre, sed potius eam servare a pravis propensionibus. Hii sacerdotes erunt singularis olim exempli qui alumni disciplinam dilexerint*[1]. *Illi* [ita Leo XIII docet] *in sacerdotio integre sancteque versabuntur qui sese in hoc genere ab adolescentia excoluerint, et tantum disciplina profecerint ut ad eas virtutes quae commemoratae sunt, non tam instituti quam nati videantur*[2].

*f*) Ad animorum relaxationem quod refert quodvis spectaculi genus aliquid prophanum redolens, veluti theatra et si quae sunt alia procul a Seminariis absit[3]. *Quo vero die relaxatur animus* [clerici] *ne iis ludis se exerceantur qui in concilio nostri Provinciali nominatim vetiti sunt..., poterunt autem non indecoro exercitationis ludive genere ut prout Rectori visum fuerit*[4].

*g*) Ad urbanitatem excolendam in omni clericorum habitu nec affectata cultus et elegantiae diligentia, nec sordes et nimis abjecta incuria appareant, sed curetur illa morum elegantia et comitas gravitate mixta quae de charitate procedit, quae gratiam et aestimationem in Ecclesiae bonum parit venerandosque simul efficit et amabiles, et nescio quid pietati et doctrinae splendori affert et ornamenti. Ad rem in S. C. EE. et RR. decreto praefecto contuberniorum praecipitur: *Generatim semper invigilent ne unquam alumni variis rerum adiunctis praeceptis deficiant perfectioris urbanitatis*[5].

*h*) Ad disciplinae observantiam assequendam quisque Episcopus edet Seminarii sui Constitutiones quae singillatim doceant quid sentire, quid agere, quidve spectare oporteat, tum eos qui in eodem Seminario in spem dioecesis aluntur, tum eos qui illorum institutioni operam suam impendunt, quarum praeclarissimum specimen S. Caroli Borromei *Institutiones*, et hoc S. C. EE. et RR. decretum

[1] Par. III Cap. III *Praefat.*
[2] Enc. *Ekinos*, die XV Feb. 1882.
[3] Cfr. *Conc. Episcop. Umbriae* [a 1849] Lib. IX.
[4] S. Carolus Borrom., *Instit.* Par. III Cap. 3.
[5] Par. III Cap. II § 3, art. 47.

[Italicis pro Seminariis editum] sunt. Ne alumni vero regularum facile obliviscantur Rector eas *omnibus clericis qui in Seminarium recipiuntur initio statim perlegendas tradat* [1] *et Constitutiones ad clericos pertinentes semel ut minimum singulis mensibus in triclinio legantur* [2].

XLIII. — Ad instructionem quod spectat plurima profecto tum bona, quam mala in institutionem spiritualem alumnorum redundant ex docendi ratione qua mentes et intellectus excoluntur. Ut illa qnidem augeantur, haec vero sollicite caveantur adnitendum maxime est ut sacrorum [qui dicuntur] alumni nonnisi ratione et methodo suae propriae conditioni congrua, sacra, videlicet, praecipue cultura instituantur; quum ea praesertim Seminariorum et Ecclesiae utilitas contineatur. *Exigit* enim *Ecclesia catholica ut sacerdotes scripturarum sacrarum, canonum et munerum ecclesiasticorum periti populus ad pleniorem morum honestate vitaeque integritate reformationem perducant* [3]. Porro ultro libenterque concedimus clericum *ut perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus* [4], atque ut *sacerdotum coetus suum teneat decus*, et ad *veritates animum persuadendum* [5] profanas quoque doctrinas et liberales artes callere oportere. At vero his tantum eaque sola ratione et methodo in his insistendum ut nullum ceteris doctrinis quae scilicet, primum tenere debent locum, detrimentum afferatur — Nihilominus ut clerus non minoris culturae laude quam laici fruatur, ac multo etiam magis, ne quidam ex clericis propositi sententiaeque suae haud tenaces, ab altaris sacrosanto ministerio suscipiendo deterreantur, necesse omnino est ut haec institutio laicorum institutioni prout a Republica impertitur in nullo, vel saltem in paucissimis omnino et longe minoris momenti cedat. Ceterum generatim lo-

[1] S. Carolus. Borromeus. *Institut.*, Par. II, Cap. 2.

[2] Id. ibid. Par. III, Cap. VII.

[3] *Synod. prov. Neogranatens* [a. 1868] tit. VIII, Cap. 2,–Cfr. Pius IX Encycl. *Singulari quidem*, die. XVII. Mart. 1856.

[4] II, Tinoth, III, 17.

[5] Cfr. Leo XIII, *Allocut.* die 7 Martii 1880.

quendo *docendi methodus... ita sit composita ut recenti scientiarum progressui prudenti modo sese accommodet, et simul pericula novitatum et perniciosorum errorum... diligenter vitet*[1]. — Quod autem ad philosophiam et theologiam docendam attinet sedulo observentur quae SS. D. N. Pius PP. X. his verbis praecipit: *Ad studia quod attinet volumus probeque mandamus ut philosophia scholastica studiorum sacrorum fundamentum ponatur... de qua quidquid a Decessore Nostro sancitum est omne vigere volumus et qua sit opus instauramus et confirmamus strictequе ab universis servari jubemus. Episcoporum erit sicubi in Seminariis neglecta haec fuerint, ea ut in posterum custodiantur urgere atque exigere*[2]... Seminariorum Magistri intelligant nullos fore in theologia progressus nisi prius philosophicis studiis sedulam operam navaverint, accuratissime quidem dialecticae, tum vero praesertim metaphysicae generali, in qua ut patet, tantopere hodierni sophistae errant ut in modernismi monstrum devenerint. Nec ceteros philosophiae partes negligant, quae si physicis rationibus corroborentur, viam aperiunt ad omnem feliciter pertigendam theologicam scientiam.—*Hoc ita posito philosophiae fundamento, theologicum aedificium extruatur diligentissime... Major profecto quam antehac positivae theologiae ratio est habenda: id tamen sic fiat ut nihil scholastica detrimenti capiat, iique reprehendantur, utpote qui modernisticam rem gerunt, quicumque positivam sic extollunt ut scholasticam theologiam despicere videantur*[3]. — Ad rem vero *nullus in disciplinis tradendis liber nullumque scriptum adhibeatur nec in ludum introduci sinatur quod vel recentes errores redoleat, vel sub quavis specie contemptum auctoritatum constitutarum excitet*[4]... Insuper isdem *praeceptores magistri omnesque Seminarii Moderatores removeant maxima cura ab alumnorum manibus libros... qui res inanes,*

[1] *Concil. Prov. Venet.* [a. 1859], Cap. XVI.

[2] Encyclic, *De Modernistarum doctrinis*, die VIII Sept. 1907.

[3] Pius PP. X. Ibid. Cfr. Id. Encycl. *Pieni l'animo* ad Italiae Episc. die XXVIII iul. 1906; Id. Litt. *In praecipuis, laudibus* die XXIII ian. 1904.

[4] *Consess. Episcop. Umbr.* [a. 1849], tit. X. Cfr. Pius IX Encycl. *Singulari quidem*, die XVII mart. 1856.

*jocosas... referant, quos molles adolescentis animi a divinorum cogitatione alienantur* [1]. Quopropter apte in decreto S. C. EE. et RR. alumni prohibentur *secum retinere libros qui damnum inferre morale vel a studiis principalibus distrahere valeant. Quoad lectiones attinet religiosissime dispositiones regnantis Summi Pontificis Pii X in Encycl.* Pieni l'animo, *et praecitata S. Officii Intructio serventur* [2]. Ad quae omnia praecavenda sic S. Carolus Studiorum praefectum admonet: *Saepe omnium libros reviset, an illorum instututo apti sint et necessarii; libros vel Indicis jussu aut legibus Seminarii interdictos ad Rectorem deferri jubeat* [3].

XLIV. – Ad oeconomicam gestionen quod attinet quum [S. Bernardo docente] *ubi non est abundantia ibi non sit observantia* [4] huius quidem gratia summopere illa curanda est, adeo ut omnia temporalia Seminarii negotia rite et feliciter gerantur, ac ita demum ut tum Superiores quum alumni omnes illa honesta et commoda vitae ratione utantur qua rectus quoque rerum ordo ac disciplina maxime promoveri consuevere. Quapropter, non quidem sub ratione finis sed utique tamquam aptissima necessariaque media, rerum et negotiorum quoque temporalium gestio singulari curetur studio, his omnibus in usum deductis quae a SS. Canonibus et nuperrime decreto S. C. EE. et RR. opportune praecipiuntur prout sequitur:

Art. 5. — *Episcopi, ad quos pertinet supremum Seminariorum interdioecesanorum regimen saltem semel in anno conveniant ad examinandam relationem Rectoris de statu morali, scientifico, oeconomico atque hygienico Instituti, et ad consilia sumenda de communi consensu necessaria et utilia, ea exequenda generaliter committant Episcopo dioeceseos in ua Seminarium adest* [5].

Art. 17. — *Ut rectae oeconomicae agendi rationi consulatur Seminariorum quae interdioecesana declarabuntur, instituetur aerarium commune ab Episcopis ordinarium episcopale consilium componentibus.*

[1] *Concil. Prov. Ravem.* [a. 1858] Cap. VI. n. 6.
[2] Par. III. Cap. II. § 2, artic. 104.
[3] *Institut*, Par. II. Cap. V.
[4] Epist. 24.
[5] Pars. I, Cap. 1.

Art. 18. — *Hoc aerarium constituetur:* a) *ex mensarum Episcopalium ac dioecesanorum Seminariorum constitutionibus iuxta rationem ab ipsis statutem;* b) *ex fortuitis subsidiis a peculiaribus S. Sedis concessionibus promanantibus;* c) *ex oblationibus cleri fideliumque* [1].

XLV. — Curam valetudinis vel hygienem [ut aiunt] tuendam quod refert, quum animi corporisque consuetudo et relatio ea sit ut quidquid ad huius bonum conferat in illius etiam utilitaten incrementumque cedat, in clericorum quoque institutione quidquid ad mentem sanam in corpore sano obtinendam conducit nemo non videt quanti sit faciendum. Igitur victus, vestitus, agendorum ordinis opportunitas, ipsaque balneorum frequentia, aut si quid id genus aliud prospici potest ad adolescentium sanitatem virtutemque tuendam [ea praesertim aetate quae graviora damna ac pericula ipsorum innocentiae moliri consuevit] tamquam omni utilitate vacua ne despiciantur. Nihil enim quod ad tantum Seminarii finem assequendum vel minime conferri possit parvi faciendum est. Idcirco opportune in S. C. EE. et RR. decreto sequentia iussa sunt:

Art. 33. — *Paternarum Rectoris sollicitudinum obiectum quidem esto alumnorum valetudo: certior eum se faciens sive per se, sive per vice-rectorem de victus integritate et ut hygenica praecepta serventur ac infirmis apte consulatur illisque quidem quorum valetudo peculiares deposcat curas* [2].

Art. 49. — [Praefecti] *singulenter sint sollicite alumnorum sanitatem, cautiones contra infirmitates adhibentes, atque statim Superiores doceant si quis infirma valetudine afficiatur* [3].

Art. 74. — [Oeconomiae gestor] *peculiari cum diligentia culinae invigilet ut alumni congruenter deserviantur.*

Art. 76. — [Oeconomiae praefectus] *curabit ut in Seminario regulae decentiae observentur et hygienica subsidia adhibeantur* [4].

Inferius autem haec ad rem traduntur monita:

Art. 1. — *Sacellum, triclinium, loca ad studium desi-*

[1] Par I, Cap. I.
[2] Ibid. Cap. II, § 1.
[3] Ibid. § III.
[4] Ibid. § 7.

*gnata eorundem adnexa etc. ampla satis illuminata aerique exposita sunto, et si fieri potest electrica illuminatione praedita.*

Art. 2. — *Auditoria purgata serventur, commoda habeantur scamna iuxta typum hygienicum et aptum diversae alumnorum aetati.*

Art. 3. — *Curetur ut ubique saepe quocumque anni tempore aer renovetur.*

Art. 4. — *Cubicula conturberniaque ea sunto amplitudine ut quisque alumnorum saltem habeat 14 m. aeris.*

Art. 5. — *Aqua potabilis ab alia quae usibus communibus inservit separetur.*

Art. 6. — *Foricae numero alumnorum accomodatae sunto, aeri expositae et constructae iuxta hodierna hygienica praecepta.*

Art. 7. — *Ubique vasa ad expuendum metallica malthaque obducta habeantur.*

Art. 8. — *Quotidie cubicula, auditoria, triclinia cunctaque domus loca poliantur madida scobi, vel etiam scopis mappis involutis.*

Art. 9. — *Si auditoria extra seminarium sint, oportet ut prope ea vestibulum habeatur amplum ventoque commodum in quo umbellae, pilea humidaque pallia deponantur.*

Art. 10. — *Quisque alumnus quam maxime curet corporis munditiem, faciem collumque quotidie, manus saepius praesertim ante refectiones abluat; horis opportunis os et dentes quidem colluat.*

Art. 11. — *Oportet ut interdum totum corpus balneis lavetur. Ad hoc destinentur dies in quibus scholae vacant. Balnea ingrediantur alumni turnatim, servato temporis spatio a refectionibus; succedant autem exercitationes physicae quibus balnearum salubritas foveatur.*

Art. 12. — *Res lintearia tum corporis tum saepius lectuli mutentur; vestes quotidie peniculo mundentur. Strophia gummi confecta omnino prohibentur utpote sanitati perniciosa.*

Art. 13. — *Deambulatum eant extra urbem per horam saltem quotidie, et diebus in quibus scholae vacant per binas horas.*

Art. 14. — *Loca ad recreandum destinata, si fieri po-*

*test, aperta sunto et sub porticu si pluat. Alumni nec sedeant nec consistant ad conversandum, sed deambulent, ac partem habeant ludis collectivis in quibus vires corporis exerceantur* [1].

## § 2. — De advigilanda alumnorum ratione se gerendi in Deum et homines.

Summae rerum. — XLVI. Quaenam alumnorum officia sint generatim. — XLVII. Quaenam in Deum. — XLVIII. Quaenam in Moderatores. — XLIX. Quaenam in sodales. — L. Quaenam in famulos. — LI. Quaenam in seipsos. — LII. De eorum officio Superiores commonefaciendi.

XLVI. — Qualem quisquis alumnus in Deum, in superiores, in sodales, in famulos, in semetipsum se exhibeat maxime Moderatores omnes attendant; his enim summa istitutionis clericalis causa continetur, immo fere tota haec est. Normae autem hae sunto:

### *A*). In Deum.

XLVII. — *Memor sit unusquisque vocationis suae* [D. ita iubet Carolus] *eoque nomine saepe Deo gratias agat, conetur que maxime vitam ut clericum decet instituere, cum tam multae utilitates ex boni, tot detrimenta ex mali vita sacerdotis profiscantur* [2].

### *B*). In Moderatores.

XLVIII. — *Omnes et singuli* [S. pergit Archiepiscopus] *debitam obedientiam et observantiam* [Moderatoribus] *omnino praestent... Erga Rectorem ea sint animi affectione qua filii erga parentem: ab eo si quid praeter voluntatem imponitur aut negatur id existiment ad utilitatem suam re-*

[1] In appendice decret. S. C. EE. et RR.

[2] *Institut.* Par. III. Cap. II,

*ferri, pro certo habentes Superiores ad id multis duci causis, quae adolescentes plerumque latent. Eidem Rectori libere suos sensus exponant, ut illis prout opus fuerit consulat, cum nihil sit difficilius adolescenti quam immoderatis animi affectionibus per se moderari* [1]. Neque aliter in S. C. EE. et RR. decreto ubi habetur: *Alumni in Rectore patrem agnoscant cui debetur amor filii et prompta obedientia. Idem servata proportione in alios superiores agant* [2]. *Quisquis, horis et ratione statuendis, Rectorem petere poterit ad suas necessitates ac desideria confitenda aperto ac fidenti cum animo. Ipsis cautelis, rationabilique de causa pietatis Magistrum quidem petere poterunt ac Vice-Rectorem: contubernium tamen deserentes, Praefectum moneant* [3]. *Animo placido demissoque denegationes, exprobationes, reprehensiones punitionesque sumant sibi a Superioribus impositas, atque ex iisdem progressum agant quem ostendant ac comprobent sincera diuturnaque emendatione* [4]. *Coram Rectore, aliisque Superioribus vel viris illustribus semper detecto stent capite, nisi expresse invitentur ad sedendum et ad caput tegendum* [5].

### *C*). In Sodales.

XLIX. — *Mutuam charitatem ac benevolentiam* [sic S. Carolus admonet] *omni studio amplectantur, ut quemadmodum debent tamquam unius corporis membra perfecto amoris vinculo colligentur. Aliorum defectibus compatientes nihil in deteriorem sed omnia in bonam partem accipiant. Nihil inter ipsos differat, aut alter alteri praeferatur, aut posthabeatur; omni divitis et pauperis, nobilis et obscuri discrimine sublato. Alter alteri honorem exhibeat praecipue in superiori ordine constituto, maxime vero si sit sacris initiatus... Studeant in primis ut pax et concordia inter ipsos conservetur, sublatis quantum fieri possit omnibus dissidii ac discordiae causis... A privatis amicitiis nimiaque inter se familiaritate abstineant; conventicula ne agant ex quibus multa damna in congregatio-*

[1] Pars I II, Cap. III.
[2] Ibid. Cap. 2, § 2 art. 126.
[3] Ibid. art. 127.
[4] Ibid. art. 128.
[5] Ibid. art. 129.

*nibus exsistunt. Quamobrem sine ullo discrimine cum omnibus versentur... Nullus sive joco, sive quovis alio praetextu alium tangere praesumat,... nullus alterius officium occupet... nullus, nisi de Superioris licentia, dono aut mutuo det quidquam vel accipiat. Alterius dicta vel facta ne quisquam curiose investiget, cum id animum a pietate et a studiis avocet, et multas in adolescentum collegiis plerumque perturbationes excitet* [1]. Fere ad verbum haec omnia in S. C. EE. et RR. decreto recensentur in quo legitur: *Alumni constanter divisiones inter varia contubernia servent tum domi, tum extra, ita ut alumni diversorum contuberniorum nullam inter se ineant consuetudinem nisi de Superiorum licentia* [2]. *In sodalibus totidem inspiciant fratres in Iesu Christo, ita ut inter se eam foveant mutuam caritatem que tanti clericos decet* [3]. *In mutua consuetudine semper adhibeant rationes ad christianam caritatem institutas, quamobrem litigia, verba aspera devitent, praesertim abhorrentes a contumeliis in eos qui virtute praecellant, vel aliquo naturae defectu laborant* [4]. *Solo nomine vel familiae cognomine inter se vocentur, vetitis omnino ceteris omne genus appellationibus* [5]. *Peculiares amicitias, in alios manus iniicere etiam iocose, invicem epistolas mittere, dona inter se similiaque omnino prohibita devitent. Transgressores apte puniantur* [6]. *Verba sermonesque indecentes nec non quamcumque actionem haud honestam exhorreant* [7]. *Recreationis vel deambulationis tempore nulli permittatur sodales relinquere atque a Praefecti vigilantia recedere* [8].

### *D*). In Famulos.

L. — *Famulis nihil imperent, nec cum iis sine facultate agant quidquam aut loquantur* [9]. Prolixius vero in S. C. EE. et RR. decreto habetur: *In famulos alumni debitis caritatis ac urbanitatis rationibus utantur, quin tamen nullam*

[1] *Institut.* Par. III, Cap. III.
[2] Par. III, Cap. III, § 4, articulus 136.
[3] Ibid. art. 137.
[4] Ibid. art. 138.
[5] Ibid. art. 139.
[6] Ibid. art. 140.
[7] Ibid. art. 141.
[8] Ibid. art. 142.
[9] S. Carolus Borromeus, *Institut.* Pars. III, Cap. 3.

*cum ipsis consuetudinem ineant. Si de eorum famulatu conqueri debeant querelas Praefecto referent* [1]. *Nulli liceat cum famulis morari, atque multo minus eis iussa vel munera committere* [2]. *Praefecti tantum de Vice-rectoris licentia cum famulis agant ad consulenda quae alumnis propriis sumptibus sibi comparare tenentur atque ad munera explenda* [3].

### *E*). In Semetipsos.

LI. — *Quas in aliis virtutes cernunt eas in se ipsis exprimere certatim contendant: humilitatis, obedientiae, modestiae exempla vicissim desumant; vitia si quae forte in aliis perspexerint, vitent; nullusque tam sit impius, ut alios pie aliquid agentes vituperare audeat, et daemonis officio fungens, eum ab operibus virtutum conetur abducere. Modestiam ubique servent... cum illa adolescentiae peculiare sit ornamentum. Caveant igitur ne oculos huc illuc circumferant; ne loquantur altius, praesertim si multi sint; ne strepitum excitent, ne nimis festinanter incedant. In mensa... silentium, modestiam, honestatem, temperantiam adhibeant; ad ea quae leguntur vel a concionatore dicuntur, diligenter attendant: ex hisque aliquem fructum percipere studeant. Cum silentium permultum ad pacis pietatisque conservationem, ad studia, ad multas perturbationes evitandas conferat, nunquam colloquantur nisi de rebus neeessariis... praeterquam relaxationis tempore quo de rebus utilibus sermones habere, sine tumultu tamen licebit. Vitent autem minus honesta verba inanesque colloquutiones: alios inter loquendum ne carpant, aut quovis modo laedant: neque vero se ipsi laudent nisi cum ad proximi fructum id est necessario faciendum. In omnibus actionibus et verbis motus corporis elationem ac superbiam fugiant, cum ea homines Dei inimicos et caeteris odiosos reddat. Pertinaciam praeter caetera devitent, in omnibus humilitatem ac mansuetudinem praeseferant... Otium vero ac desidiam fugiant: quae cum ecclesiasticos omnes dedeceat, tum eos potissimum*

[1] Pars. III, Cap. III, § 5, art. 143.
[2] Ibid. art. 144.
[3] Ibid. art. 145.

*quibus aliorum cura committenda est* [1]. Neque secus in S. C. EE. et RR. decreto ubi haec habentur: *Quisquis alumnus in seipso imaginem Dei templumque Divini Spiritus colat maxima cum moderationis ac decentiae observantia tum cum aliis, tum solus in proprio cubiculo, prae oculis habens ubique praesentem Deum esse* [2]. *Omnes munditiem corporis vestiumque curent, comam apte caesam dispositamque habeant, ab omni vanitate foeditateque at etiam ab omni singularitate affectationeque abhorrentes sese in omnia conformantes consuetudinibus seminarii* [3]. *Eorum esto hygienica praescripta curam corporis respicientia observare* [4]. *In modo, incessu, sermone decorem servent, ab omni levitate et quovis cum clericali dignitate actu incongruo abstinentes* [5]. *Ordinem ac nitorem servent in cubiculo, in libris, in suppellectili, neque sua aliaque aut Seminarii dissipent* [6].

LII. — Ut disciplinae sedula adhibeatur observantia multum confert si huic prudentissimi S. Caroli Borromaei consilio alumni charitative obsequantur: *Qui aliquid minus laudabile in quoquam perspexerit aut aliquem correptione vel poena dignum animadverterit Rectorem statim commonefaciant* [7]. Quod ipsum auctoritate S. C. EE. et RR. decreto praecipitur: *Quisque alumnus aliquem conspiciens defectum ex quo oriri possit offensio in Deum discriminaque in aliorum virtutem Seminariique integram famam, de eo Superiores certiores reddat ut remedium afferant. Id agentes munus delatoris non exercebunt, sed studiose curabunt commune bonum ac caritatem in proximum* [8]. At vero Moderatores ad utrumque punctum ferendum quidquid pravum ac protervum delationis spiritum fovere vel indirecte possit, quippe qui non quidem virtutis sed hypocrisim magis augeat, fugiant omnino; maxime autem caveant ne hoc officium cuicumque alumnorum gerendum conferantur, neque ad hoc aliis mediis utantur quae quaestoris more redolant.

[1] S. Carolus Borromeus, *Instilut.* Par. III, Cap. 3.
[2] Pars. III, Cap, III, § 3, art. 131.
[3] Ibid. art. 132.
[4] Ibid. art. 133.
[5] Ibid. art. 134.
[6] Ibid. art. 135.
[7] *Institut.* Par. III. Cap. III.
[8] Pars. III, Cap. III, § 2, artic. 130.

## § III. — De alumnorum cum ceteris qui extra Seminarium sunt negotiis advigilandis.

Summae rerum. — LIII. Quaenam sint externa haec negotia generatim. — LIV. Accessus ad colloquutorium. — LV. Visitationes eorum qui extra Seminarium degunt. — LVI. De deambulationis tempore. — LVII. Scholas adire externas. — LVIII. Scholas Seminarii externis alumnis petere. — LIX. Studium rei catholicae provehendae. — LX. Epistolare commercium. — LXI. Ephemeridum lectio.

LIII. — Non modo his quae in ipsis sacri Seminarii septis sunt deploranda, verum etiam [ac multo forsan magis] iis negotiis quae sacrorum alumni cum illis qui foris sunt gerere possint, aut etiam [humanitatis vel necessitatis causa] quandoque gerere debeant, tum loquutionibus quam scriptis interpositis, spiritualis clericorum institutio perturbari atque praepediri consuevit. Hinc pretium erit operae praecipua ad rem atque efficaciora documenta tradere ne quid tale tantumque negotium detrimenti capiat.

### *A*).

### Quoad ad oralem conversationem spectat:

LIV. — In colloquutorio [prout usus et experientia docuere] facilior aditus omnium bonorum inimico patet. Quapropter semper et praesertim cum de personis haud consanguineis agatur [quum disciplinae maxime intersit eum nosse qui alumnum invisendum expostulat] *nullus ad januam accedat... nisi eius rei facultatem a Rectore* [vel huius Vicario] *obtinuerit* [1]. — Quum huiusmodi negotia cum extraneis saepe nullius utilitatis clerico esse consueverint atque ea imminui maxime ad spiritualem institutionem profecto conferat, si ipse Rector extraneos nec parentes ad minimum quo fieri poterit admittat nonnisi laude dignus erit. Ad rem vero in S. C. EE. et RR. decreto habetur: *Generatim alumnos*

[1] Decret. S. C. EE. et RR. Par. III. Cap. III. § 6. artic. 147.

*invisere indulgeatur bis in hebdomada, diebus statuendis, horis ab actibus communibus non impeditis et ante signum vespertinae salutationis angelicae. Ad extraordinarias visitationes semper exposcatur Superiorum licentia* [1]. *In aula visitationum, in omnibus et cum omnibus se gerant alumni iuxta civilis institutionis praescripta, idque agant non ad inaniter homines satisfaciendos, sed ad rusticitatem fugiendam* [2]. *Prohibentur alumni recipere cibos vel potus absque Vicerectoris licentia qui de his rebus disponet prout opportunius iudicabit* [3].

LV. — Ad tempus etiam ad amicos invisendos vel ad alia negotia gerenda extra Seminarii septa vagari animi recollectionem [cui clericus studeat oportet] magnopere perturbat. Quapropter iure meritoque S. Carolus Borromaeus haec monet: *Nihil perniciosius adolescentibus iis praesertim qui sub certa vivendi disciplina degunt et litterarum studiis dant operam quam saepius domi, multo magis per urbem vagari; estque hoc inanis cuiusdam levitatis certissimum argumentum* [4]. Rector igitur *ne cuiquam facultatem concedat exeundi e Seminario privata de causa nisi, ea bene cognita et perspecta, necessario concedendam esse judicaverit* [5], *et iis solum de causis quae illa R.mo Archiepiscopo fuerint praescriptae* [6]. His vero in rerum adiunctis *nec quemquam solum exire* [Rector] *permittat etiam praefectum, sed cum assignatis sibi sociis... et ab iis numquam sese disiungentes domum revertantur, et ea tantum loca petant ad quem profiscendi facultas concessa fuerit. Qui si loca alia adierint aut diutius abfuerint quam fuerit illis concessa facultas, domum reversi corrigantur et puniantur* [7]. *Dent operam ut quam celerrime fieri possit se expediant, domumque se recipiant antequam detur signum angelicae salutationis* [8]. Quin etiam nec eas cautelas rem conficere existimat S. Archiepiscopus qui ideo addit: *Impetrata facultate in exitu Rectorem adeant: idem faciant cum revertentur* [9]. De re in S. C. EE. et RR. decreto statuitur: *Ne indulgeatur alum-*

[1] Par. III, Cap. 3, § 6, artic. 147.
[2] Id. ibid. artic. 148.
[3] Id. Ibid., artic. 150.
[4] *Institut.* Par. III, Cap. 6.
[5] Ibid. Par. II, Cap. 2.
[6] Ibid.
[7] Ibid. Par. II, Cap: 2.
[8] Ibid. Par. III, Cap. 6.
[9] Ibid.

*nis e seminario egredi ad prandendum vel ad aliquem invisendum in privatis domibus. Item nec indulgeatur alumnis generatim, cum parentibus e seminario egredi cum hi seminarium petunt ad eos invisendos* [1].

LVI. — Deambulationis quoque tempore alumnorum animi perturbari possunt; quapropter omnino cavendum est ne dum opportunum corpori tribuitur solatium, spiritus recollectio detrimentum sentiat. Itaque quae sequuntur sedulo observentur: *In incessu gravitatem et modestiam* [clerici] *praeseferant: ne cursitent vel contentius ambulent: oculis ne vagentur, aut in via rei alicuius inspiciendae causa ne consistant. Ne altiore voce colloquantur, ne brachiis vestes involvant...* [2]. Ad rem vero in S. C. EE. et RR. decreto haec habentur: *Quisque curet ut dato signo congrua ratione paratus sit ad deambulandum ordinem profectionis a Praefecto expectans* [3]. *Nulli liceat domi permanere tempore ambulationis nisi gravi de causa et de licentia identidem a moderatoribus obtenta* [4]. *Quodcumque contubernium iter aggrediatur quod a Praefecto de superiorum consensu statuetur. Deambulantes omnino a quacumque refectione prohibeantur nisi de expressa Rectoris licentia* [5]. *Semper in civitate deambulent servato ordine, honesto incessu, moderato passu, et quisque cum suo sodali loquatur dimissa voce. Extra civitatem Praefectus indulgere poterit ut ordines scindant, caute tamen ne ullus nimis recedat* [6]. *Si deambulantes in Episcopum incurrerint detecto capite sistant alumni ut ei debitum praebeant obsequium; si vero in Canonicos, Superiores, Professores Seminarii aliosque sacerdotes vel alios viros a superioribus praecipue designatos tunc illos salutent detecto capite quin consistant* [7].

LVII. — Externas adire scholas tum colloquutionum, quum etiam epistolarum crebram opportunitatem praebet. Concilii Tridentini verba si presse sumantur nullum Seminarium quod suis scholis careat permittunt: at quidem quandoque necessitas hac lege maior, quae contrarium omnino suadeat consilium, exoriri potest. Tunc vero ne Semi-

[1] Par. III, § 9, art. 162.
[2] S. Carolus Borromeus, *Institut.* Par. III. Cap. VI.
[3] Par. III. Cap. III, § 9, artic. 157.
[4] Ibid. artic. 158.
[5] Ibid. artic. 159.
[6] Ibid. artic. 160.
[7] Ibid. artic. 161.

narii alumni cum aliis indiscriminatim versentur summopere cavendum est, atque a quovis negotio cum extraneis quotquot sunt gerendo districte prohibendi sunt, quippe qui, utut bonis praediti moribus, nec sacrorum alumni sunt, nec unquam fortasse sacerdotalia munia exercebunt [1].

LVIII. — Scholas Seminarii saecularibus quoque alumnis patere non infrequens ut alumni sacrorum cum caeteris commercium habeant ac nonnumquam, Moderatorum etiam accedente negligentia, vitiosas et perniciosissimas quoque consuetudines foveant veluti ratio et causa esse consuevit. Nonnisi itaque [quod mox diximus] ubi extrema constet necessitatis ratio, huiusmodi saeculares tirones in Seminarii scholas suscipiantur, et tunc quoque *pauci tantum ac omni exceptione digni admittantur, nec ipsorum gratia ulla in regimine domus fiat immutatio* [2]. Quamquam vero tales fuerint, nonnisi cum spiritualis clericorum institutionis detrimento huiusmodi consuetudo fovebitur, qui persaepe quidquid impensis studiis curisque multi temporis labore tandem didicere, brevi in huiusmodi scholis oblivioni dant ac omnino quoque disperdunt.

LIX. — Quod autem ad clericorum studium et sollicitudinem rei catholicae provehendae spectat quum SS. D. N. Pius X constituerit: *Sacrorum alumni qui in Seminariis instituuntur omnino arceantur ab externarum rerum perturbationibus utcumque fovendis* [3], causa iam dicta est. Nec satius umquam quis prospexerit ut quae de Italis Seminariis lex viget ab aliarum quoque gentium clericis observanda praecipiatur, quum eadem ubique incommoda et mala ex huius praecepti neglectu pertimescenda sint. Nam in huiusmodi rebus ea collocare studia quae tum opportuna et congruentia tempori spectent, tum propria cuiusque commoda comparent providentque eorum tantum est qui nomen praeferant duplici clarum incremento, idest vitae quum in religioso, tum in civili genere actuosae. Quod si quandoque in provectis quoque sacerdotibus desideratur, multo minus

[1] Cfr. Lucidi, Op. cit., Vol. II, Cap. 6 § 42.

[2] *Conc. Alb.* [a. 1850] decret. II, 1.

[3] Encycl. *Pieni l'animo*, ad Episcop. ital. die XXIX iul. 1906.

in his clericis comperias qui nullam hucusque tantarum rerum experientiam nacti sunt ac nihilo magis quam quiete et silentio proficiant. Profecto quae communi commendantur gratia et favore catholicorum de actione sociali studia nec nos contemnenda existimamus, neque clericorum votis et opera de consensu utique et auctoritate Superiorum caute praestanda destituta volumus. Nihilominus idem contendimus valde inopportunum esse atque animi recollectioni omnino contrarium si in huiusmodi sociali actione clerici quoque directas partes habeant. Illi fortasse qui institutione tanti profecerint ut mox veluti magistri in Israel dandi sint, nonnumquam (ubi nulla vigeat de re prohibitio) in haec eadem studia aliquantulum incumbere possint: at si de omnibus clericis sit sermo optimum consilium censemus eos ab his pertractandis rebus omnino arcere [1]. — Multo magis vero ne clerici scripta foliis periodicis aut ephemeridibus dent cavendum est, quum minus damnum quod inde redundare consueverit temporis iactura contineatur: quandoquidem inanium earum rerum cultus nonnisi cum gravi studiorum atque ecclesiastici spiritus detrimento alitur. Itaque his plus aequo properantibus Magistri suadeatur ut sua tempora expectent: interea vero earum rerum quae docere cupiunt summis curis studiisque plenam sibi comparent notitiam ne, cum ceterorum risu quae hodie errorum portenta disseminant, aliquando gravioribus etiam augeant confirmentque. — Qui nobiscum haec teneant graviora etiam damna atque pericula institutioni ecclesiasticae reformidanda esse concedent libenter si in ipsis sacri Seminarii septis (quod semel aut iterum fieri olim deploratum est) ea folia aut ephemerides conscribi a clericis et in lucem edi permittatur quae, per speciem litteraria studia promovendi, publicorum negotiorum gestionem curiosius exquirant iudicentque. Publicum clerici negotium (si ita loqui fas sit) morum suavitate, disciplinae observan-

[1] Cfr. Leo XIII, Encycl. *Quod apostolici muner.* die XXVIII dec. 1878; Id. Encycl. *Rerum Novarum* die XV mag. 1891; Id. Encycl. *Graves de communi*, die XVIII ian. 1901; Id. *Istruzione Sac. Cong. Affari Ecclesiast. straord.* die XXVII ian. 1902; Pius PP. X. Motu proprio, *de populari actione cristiana moderanda*, die XVIII dec. 1903.

tia, doctrinae studio continetur: quae his supersunt omnia ceteris viris permittantur quibus utrum et ipsi suo tamen tempore, adiungi debeat Antistitum suorum consilio decernendum erit, quibus fideles omnes, et multo etiam magis clerici subditi sint oportet.

*B*).

Quoad negotia quae scriptis geruntur:

LX. — Commercium epistolare uberem incommodorum segetem praebet, quam S. Carolus brevi at etiam severissimo ac efficacissimo monito comprehendit: *Litteras* [clerici].... *neque mittant ipsi, neque ad se missas aperiant, priusquam Rectori ostenderint*[1], quod fere ad verbum in S. C. EE. et RR. decreto habetur: *Nullus recipiat vel mittat epistolas quae non fuerint inspectae a Rectore, qui sua prudentia decernet an tradenda vel expedienda sint*[2]. Moderator igitur huic ingrato at ordinis utillimo revisionis negotio assiduam atque sedulam navet operam, illudque ipse [ut plurimum] integrum sibi adsciscere ne renuat. — Idem qua maiore pollet prudentia studeat ut huiusmodi commercium debitos intra fines contineat; optandum sane propterea est ut alumni nonnisi cum parentibus atque cum his tantum quos parentes ipsi proponant rem epistolarem habeant: quod si fiat pretiosum otii pondus studiis litterariis atque animi recollectioni asservabitur.

LXI. — Ephemerides quoque facilem spiritus dissipationi pandunt aditum, quarum, videlicet, ope clerici inflatam potius falsique nominis scientiam quam veram sapientiam addiscunt, atque exinde Moderatorum suorum acta carpere magis quam prono exsequi obsequio adsuescunt. Quapropter tamquam norma constitui potest: ephemeridum lectione tempus terendum non esse quod aptius maioreque cum fructu studiis aut spirituali institutioni impendatur. — Fideliter itaque ab aliarum quoque gentium clericis his insistendum esse existimamus

[1] *Institut.* Par. III, Cap. 3.

[2] Par. III Cap. 3 § 6, artic. 150.

quae tum f. r. Leo P. P. XIII, tum S. D. N. Pius PP. X de Seminariis italicis praescripsere: *Nulla omnino ephemeris, nec quae a catholicis viris conscripta sit, nec quae catholicorum actionem quam dicunt, impense foveat, in Seminaria induci debet.... quam moderatores non permiserint. Moderatores vero nullam permittant nisi Episcoporum accedente singulari consensu* [1]. Quod decessoris sui praeceptum Pius X his a se Italicis pro Seminariis constitutis firmavit: *Clericos omnino vetamus quominus ephemerides aut etiam periodicos libellos suscipiant legantve, nisi ex periodicis unum alterumve Episcoporum iudicio et auctoritate alumnorum studiis concedendum sit* [2]. Quae ipsa in S. C. EE. et RR. decreto prudentissime confirmantur: *Quoad lectiones attinet religiosissime dispositiones regnantis Summi Pontificis Pii X in Encyclica* « Pieni l'animo » *diei 29 Juli 1906, et praelaudata S. Offici Instructione diei 28 augusti 1907 observentur* [3]. — Digna tamen laude is Rector egerit qui periodica ab alumnis legenda singula ipse primus percurrerit, atque suo iudicio comprobaverit nihil nisi sanum atque clericis opportunum in illis perhiberi.

## § IV. — Quae autumnalium feriarum tempore per disciplinam sint cavenda.

Summae rerum. — LXII. An alumnis concedendum sit ut huiusmodi feriarum tempus apud suos agant et quantum. — LXIII. Quae his in adjunctis disciplinae munia et subsidia sint.

LXII. — Peculiare vero dicendi argumentum de huiusmodi alumnorum negotiis cum his qui foris sunt gerendis agentibus suppeditant autumnales feriae, de quibus propterea fusius agendum est. - Ne fines nobis propositos praetergrediamur a limine animadvertimus discordem hac de re, varias

[1] Leo XIII *Istruzione S. C. Affari Ecclesiastici Straord.* die XXVII Jan. 1902.

[2] Epist. Enciel. *Pieni l'animo*, die XXIX Jul. 1906. – Cfr. Instruct. S. R. et Univ. Inquis. die XXVIII Augusti 1907.

[3] Par. III, Cap. 2, § 2, artic. 104.

nimirum iuxta gentes, atque variam per dioeceses praxim usumque vigere. Sive enim integrum feriarum tempus ducendum apud parentes conceditur, sive tantum pars eius ducenda permittitur, sive nihil de huiusmodi feriis alumnorum libertati dimittitur. Quamvis vero ius canonicum aut Tridentina Synodus nihil hac de re praecipiant, Leo tamen fel. rec. XIII non semel quarumdam gentium Ordinarios monuit ne clericos ad suos parentes feriarum tempore redire sinerent. *Vitandi periculi ratio suadet ut comparetur alumnis rusticatio ad feriandum, nec arbitrium relinquatur suae cuique ipsorum adeundae familiae. Multa enim pravitatis exempla manent incautos..., quo fit ut in iuveniles cupiditates proni aut ab incoepto deterreantur, aut sacerdotes futuri sint offensioni populo*[1]. Quod ipsum nuperrime pro Universitatis Malinensis alumnis a Pio PP. X cautum quoque fuit[2]. Divi autem Caroli Borromaei instituta ac tradita [quibus fideliter insistimus] nihil ipsa de re docent. Profecto S. Carolus clericis qui ad ferias apud suos ducendas discedunt plura documenta in his quae scripsit tradit[3], at vero qui vitam eius narrarunt scriptores mentem ei iamdiu fuisse eorum discessum cavere testati sunt[4], et haec ipsa causa videtur cui tam sedulo de Seminarii villa ille scripserit[5]. Quae hodie vero ea per dioeceses ubi Borromaei instituta vigent, varia diversaque omnino praxis servatur, nihil certi arguere sinit. — Si quid autem nostra sententia valeat quaestio haec una eademque ratione pro omnibus gentibus et dioecesibus solvi non potest. Pro variis enim diversisque adiunctis rerum et personarum conditionibus varia etiam sit oportet ratio agendi et consulendi norma; quae omnia unus loci Episcopus aequi aestimare valet. Nihilominus vitanda pariter extrema quae semper vitiosa fuere censemus, ac suademus nimirum non omnes ferias esse

[1] Encycl. *Paternae providaeque* ad Episcop. Brasil. die 18 sept. 1899.
[2] Epistol. *ad Ministr. Gener. Ordin. Praedicator.* die 1 april. 1906.
[3] *Institut.* Par. I, Cap. VIII.
[4] Cfr. Giossianum *in Vita S. Caroli* Cap. 22. — Cfr. *Concil. Prov. Urbinat.* [a. 1859] Par. I, Lib. VIII, decret. 68.
[5] *Institut.* Par. I, Cap. VII.

concedendas, sed ex parte tantum eas indulgendas esse. Quae omnia juxta S. C. EE. et RR. mentem omnino sunt quae sapienter decrevit: *Episcopi omne studium adhibeant ut Seminarium domum habeat rusticationis in qua alumni animum relaxare queant feriis autumnalibus. Occasione diuturnarum feriarum ne liceat alumnis eas apud parentes impendere: omnes ac quiescant solatiis quae in Seminario in diebus parabuntur* [1]. *Feriae autumnales ab omnibus impendantur in loco ad rusticandum designato* [2]. *Attamen prudenti Episcoporum arbitrio committitur alumnis praesertim Lycei et Theologiae indulgere ut per aliquod tempus [ad summum per mensem] apud parentes se conferant. Hoc in casu Rectoris esto eos committere respectivi Parochi vel alii pii sacerdotis diligentiae, a quibus privatas notitias expostulet de eorumdem vitae ratione antequam eos in Seminarium denuo admittat* [3]. — Idipsum decernendum est de feriis quoque paschalibus prout nonnullis in dioecesibus Seminarii tironibus permittuntur; quamvis eas, utpote quae scholastico cursui annuali summopere contrariae sint, haud concedendas, meliore consilio, quis fortasse censeat.

LXIII. — Quoties clerici longum vel breve temporis intervallum agant apud suos, ut *juvenes ita relaxentur ut nec studii ac pietatis amor in ipsorum animis languescant, nec fastidium in Seminariis moram creetur* [4], Episcopi et Rectoris est eos [a longe licet] tum per se, tum per alios advigilare, ut in S. C. EE. et RR. decreto mox legimus. Qua in re nullae maiore cum fructu recoli observarique possunt leges quam quae iam a Divo Carolo Borromaeo peropportune statutae fuere, et nostris quoque temporibus, apud plurimas Longobardorum dioeceses religiose servantur. Quare:

1) Discessuris alumnis Ordinarius epistola[s commendaticias parocho exhibendas tradat. — *Cum aliqua de causa* [haec Divi Caroli verba sunt], *ad domesticos lares ire contigerit ibi per aliquot dies mansuris sine litteris commendaticiis Reverendissimi Archiepi-*

[1] Par. I. Cap. I, artic. 9.
[2] Par III, Cap. III, § 10, artic. 165.
[3] Ibid. art. 166. — Cfr. *Concil. Prov. Raven.* [a. 1855] Part. IV, Cap. VI. decret. 9.
[4] *Consess. Episc. Umbriae* [a. 1849] tit. IX.

*scopi discedere ne liceat... Quarum litterarum exemplar appetente vocationum tempore, tot quod opus fuerint pro numero clericorum exscribantur, ut opportune paratae sint ac clericis abeuntibus dentur perferendae* [1].

2) Accedente feriarum tempore haud omittant Moderatores suos alumnos instruere qua ratione in omni modestia et sanctitate debeant inter consanguineos et concives versari, quae pericula fugere ut immaculatos se custodiant ab hoc saeculo; quibus exercitiis pietatis quotidie indulgere, ut clementissimus Deus quemadmodum diem benedixit quo requievit ab omni opere quod patrarat, ita et tempus benedicere dignetur quo alumni post exantlatos labores feriarum quiete fruuntur.

3) Vicarii Foranei quae hac in re parochi agunt advigilent. — Interdum enim haud fideliter seduloque huic officii sui debito satisfaciunt fortasse parochi, qui si a Vicaris Foraneis advigilentur suo muneri non deficiunt. Quapropter tum nomina, tum pagi alumnorum Vicario Foraneo describantur, his cum litteris quarum specimen in S. Caroli *Institutionibus* videre est [2].

4) Tum Parochi, tum Vicarii Foranei *totam alumni vivendi rationem diligenter observent*, atque haec praecipue quorum Divus Carolus apertius meminit:

*a) An quotidie, mane vel vespere, orationi vacet.*

*b) An singulis quindecim diebus peccata sua probato sacerdoti confiteatur, Sanctissimamque Eucharistiam sumat.*

*c) An diebus festis missae conventuali reliquisque officiis in Ecclesia... superpelliceo indutus, religiose intersit et inserviat.*

*d) An ordinum quibus est initiatus functiones frequenter exerceat.*

*e) An doctrinam christianam in Ecclesia..., horis statutis, doceat singulis diebus festis.*

*f) An clericali vestitu talari decenter utantur, et eum iugiter deferat tonsuramve gestet* [3].

[1] *Institut.* Par. I, Cap. VII.
[2] Id. ibid.
[3] Id. ibid.

*g) An quidpiam aliud in conciliis nostris clericis prohibitum committat.*

*h) An cum laicis et praesertim cum mulieribus versetur* [1].

Neque satis: nam S. Carolus parochum admonet: *Haec et si quae alia sunt a te quam diligentissime animadverti volumus* [2]; inter quae, hac nostra tempestate maxime recolenda sunt quae ad ephemeridum librorumque lectionem et ad novarum studium rerum pertinent.

5). Quando optio detur semel saltem ad spiritualem unius diei secessum omnes clerici conveniant. — Quantum enim haec pia praxis in bonum clericorum cedat quotidiana experientia suadet. Quod si itinerum difficultates longinquis obstent, urbani aut suburbani clerici iis profecto impedimentis non detinentur; sed ut hi quoque qui procul dissideant per vicarias a mane saltem usque ad vesperas convocentur suadendum est.

6). Epistolare commercium cum alumnis Moderatores ineant — Valde quidem sunt commendandi Moderatores qui epistolare commercium cum alumnis ad suos lares reversis prudenter habeant, quo salutaria monita tironibus in mentem revocentur et clericorum amor erga Seminarium et Institutores foveatur.

7). Expleto autem rusticationis tempore Parochus clericis in Seminarium redeuntibus litteras testimoniales tradat quibus, [iuxta rei veritatem], de vita et moribus suorum clericorum Episcopum vel Rectorem certiores reddat. - *Ubi vero redeundi tempus* [sic S. Carolus parochum admonet] *advenerit, litteris sigillo tuo munitis, prius tamen Vicarii foranei approbatione subscriptis, quidnam in singulis dictis capitibus, aut alia in re excessus vel defectus exstiterit* [*super quo conscientiam tuam oneramus*] *singillatim Nobis cumulatissime significabis* [3]. — Quod si feriarum tempore aliquid grave acciderit ex quo de vocationis defectu legitima su-

[1] *Institut.* Par. I, Cap. VII.
[2] Id. ibid.
[3] Ibid.

spicio suboriri possit, antequam redeundi tempus adveniat, ut opportune a Seminario procul indignus arceatur, de ipsa re parochus certiorem faciat Episcopum.

Haec omnia si sedulo exequutioni demandentur plurimum conferent ut quae sacrorum alumnis rusticationis tempore pertimescenda ac reformidanda sunt spiritualis animi cultus vitia ac defectus sollicite caveantur, quo quidem fructu magna Ecclesiae quoque utilitas et incrementum continetur. Si vero [e contrario] his praeceptis non omnimoda adhibeatur observantia, profecto tyronum spirituale bonum in magnum discrimen adducetur adeo ut Seminarium suos alumnos clericali utique habitu et veste indutos, non tamen moribus et animo Sanctuario dignis praeditos sit recepturum, sibi quidem ac multo etiam magis aliis inutiles iam et perniciosos.

## § 5. — Quanti sit facienda in Sacris Seminariis disciplinae observantia, deque Episcopi cura in Sacrum Institutum.

Summae rerum. — LXIV. Advigilantis disciplinaeu tilitas. — LXV. In Seminariis praesertim. — LXVI. Disciplina Seminariorum sacra sit oportet. — LXVII. Episcoporum de hac re cura. — LXVIII. Quibus limitibus obnoxia quantaque fruatur libertate.

LXIV. — Acturi de his quae per disciplinam in clericali institutione obvenienda sint, peropportunum censemus his quae hucusque tradidimus veluti coronidem imponere, pauca attingentes de officio quod omnibus et Episcopo praesertim, incumbit advigilandi ut Seminarii rectio ordinate seduloque fiat. Id enim nisi obtineat, quaecumque exposuimus aut etiam exponendi sumus vix debitae exequutioni demandari possunt atque, fundamentis nutantibus, aedificium omne periclitabit. — Stagiritae monitum est: *Maxime intendendum est circa disciplinam iuventutis: nam id neglectum in civitatibus affert reipublicae detrimentum*[1]. *Adolescentia* enim *insipientiae copulata est*[2], nam *sensus et cogitatio in ma-*

[1] *Politic.*, Lib. VIII, Cap. I. [2] Ugo Cardinal. *in Cap. 12 Eccles.*

*lum prona sunt ab adolescentia sua* [1], et *si adolescens non se correxerit dum iuvenis est senex numquam emendabitur* [2]. E contra *bonum est viro cum portaverit iugum ab adolescentia sua* [3], et *adolescens iuxta viam suam etiam cum senuerit non recedet ab ea* [4]. Ex his liquet quanta sit necessitas curandi ut praesertim iuvenes a primis incunabulis optimis praeceptis instituantur; nam si contra res eveniat, eosdem equi instar troiani perniciem gentibus illaturos existimandum erit. Quapropter non immerito puerorum gymnasia in sacris litteris turres nominantur, quasi futura civitatum propugnacula.

LXV. — Quod si in Republica valet, magis tamen de ecclesiastica institutione id intelligendum est, cuius spiritualis, doctrinalis atque moralis clericorum educatio iuxta altissimam eorum vocationem ita curari convenit ut tirones *ecclesiastico spiritu praediti ac studiis recte instituti, valeant in tempore, dominicum agrum diligenter excolere ac strenue praeliare praelia Domini* [5]. Seminaria enim sunt veluti fontes irrigui unde hauriuntur salutis aquae ad irrigationem dominici agri: palaestrae quibus praeparantur et unde primo mane boni ac strenui operarii exeunt ad vineam Domini excolendam; viridaria unde sancti doctique Ecclesiae ministri efflorescunt, ubi laeta iuventus iam expoliri optimis artibus incipit ut inde ad populorum Ecclesiaeque assurgat decus. Enimvero *ea potissimum de causa Seminaria erecta sunt ut in iis boni strenuique operarii ad curationem animarum, quas suo Sanguine pretiosissimo Christus redemit, instituantur: et ii quidem adolescentes... in operibus virtutum erudiri debent ut eam vitae perfectionem adipiscantur quae in iis qui doctores populorum futuri sunt elucere debet* [6]. At facile intellectui est tantum ecclesiasticum ministerium sine ordine obtineri haud posse; alumni enim *qui exosam habuerint disciplinam* [7], cum ex incomposito Seminario [freno haud assequendi sacerdotii so-

[1] Genes. VIII, 21.
[2] Trithemius, *in Regul. S. Bened.* Cap. 2.
[3] Thren. III, 27.
[4] Prov. XXII, 6.
[5] Pius PP. IX, Encycl. *Qui pluribus*, die 24 sept. 1858.
[6] S. Carolus Borromeus, *Instit.* Par. II, Cap. I.
[7] *Prov.* 1, 29.

luti] discesserint *non in plebis christianae salutem sed in perniciem erunt* [1]. Quamobrem [ut Divi Alphonsi monitum est] solutum disciplina Seminarium quasi dioeceseos tabes, videtur prudenti manu quamprimum extirpandum ne graviora detrimenta afferat Ecclesiae Sanctae Dei. Itaque *intendite animum et sedulitatem ut ecclesiastica seminaria omnino vigeant floreantque, tum ad studia sacrarum disciplinarum quod attinet, tum quod spectat ad animos adolescentium sancte fingendos* [2]. *Quales* enim *in Seminario alumni tales in ministerio presbyteri. Ad pietatem et scientiam non rite informati fiunt in domo Dei lapis offensionis et petra scandali: rite autem et optima disciplina instituti sollicite curabunt se ipsos exhibere Deo operarios inconfusibiles, quorum scilicet... ornetur vita docendo, et doctrina vivendo* [3]. *Talem, vos Venerabiles Fratres, rite in oculis vestris eductum atque probatum clerum, sentietis profecto vobis pastorale munus non allevari solum sed etiam abundare optatis in grege fructibus, quorum licet sperare copiam a cleri maxime exemplo et actuosa charitate* [4].

LXVI. — Quum autem rectus Seminariorum disciplinae ordo veluti summae necessitatis ratio perhibetur qua clericorum spiritualis institutio perfici valeat, non quidem eo tantum ut exteriorum solum rerum ordine contineantur disciplinae partes et officia coarctantur. Quandoquidem illius imperium ad ea quoque pertingere oportet quae morum habitus et intellectus cultum, scholae praesertim magisterio tamen obtinendum moderantur ac regunt. Quinimmo quum ad hoc Seminaria sint instituta ut non tantum doctos, sed praesertim vere sanctos sacerdotes efficiant, in primis studendum est ut ipsa res litteraria hos efficiat viros qui sal et lux populi christiani sint. Igitur [prout magis infra pertractandum erit] quidquid ad docendi rationem pertinet veluti sanctitatis aura spirituque vivificari oportet, et qui ad disciplinas tradendas assumuntur se non ad quoscumque adolescentes excolendos vocari, sed eos qui

[1] Pius PP. X Encycl. *Jucunda sane*, die IV Martis 1904.

[2] Leo XIII, *Epist. ad Episcop. Brasil.* die 2 Iul. 1894.

[3] *Concil. Prov. Burdigal*, tit. V, cap. 1.

[4] Leo XIII, *Epist. ad Episcop. Brasil.* 2 Iul. 1894.

in spem Ecclesiae veri, scilicet, nominis sacerdotes futuri sint continuo meminerint. Id quidem oblivisci quum sacrarum divinarumque rerum notitiae studetur facile haud contingit; maxime vero in illis excolendis doctrinis quae animum potius a Deo divertunt et ad fluxas profanarumque rerum vanitates convertunt obtinet. De his igitur ut hanc indolem, [quo melius fieri potest], exuant, eaque spiritus vi instruantur qua ad altissimum propositum regiminis animarum et ad salutem populi christiani conferre valeant, quam maxime adnitendum est [1].

LXVII. — At vero quemadmodum hortus summis non excultus curis non modo flores denegat aut fructus, sed etiam tribulis ac vepribus cultoris manum offendit, ita etiam si Seminario debita vigilantia haud impendatur quaevis sanctitatis spes intercidit; disciplina enim perit eaque deficiente nulla institutio multoque minus quae clericos deceat superstes erit. Quamobrem opportune omnino SS. DD. NN. Pius X apud Episcopos his instabat gravissimis verbis: *Pars potior diligentiarum vestrarum sit de Seminariis sacris rite ordinandis moderandisque ut pariter integritate doctrinae et morum sanctitate floreant. Seminarium cordis quisque vestri delicias habetote, nihil plane ad eius utilitatem omittentes quod est a Tridentina Synodo providentissime constitutum* [1]. Et alibi: *Magis vero magisque, quae iamdiu commendavimus, iteramus, munera nimirum vestra praecipua de Seminariis regendis, fovendis, advigilandis; eos enim sacerdotes habebitis quos tirones habueritis. Qua de re gravissimas iam Decessor Noster sa. me. die 8 Decembris anni 1902, ad vos litteras, diuturni Pontificatus quasi testamentum, misit. Nec novi aliquid addimus, sed quae ibi iubebantur iterum recolimus* [2]. — Leo vero P. P. XIII monebat: *Praecipuae autem curae cogitationesque Vestrae, Venerabiles Fratres, in eo vigilare debent ut ministros Dei idoneos rite instituatis. Quod si Episcoporum est plurimum operae et studio in fingenda probe omni*

[1] Encycl. *Suprem. apostolat.* die IV oct. 1903.

[2] Encycl. *Pieni l'animo,* die XXIX Iul. 1906.

*iuventute ponere, longe plus ipsos elaborare in Clericis verum est qui in Ecclesiae spem adolescunt, et participes adiutoresque munerum sanctissimo rum sunt aliquando futuri*[1]. Et alibi: ... *Ordinarii nullum sedulitatis modum omittant quo alumni in sortem Domini vocati optime instituantur sancteque educentur. Persuasum habeant nihil in administratione episcopali esse quod curam suam sollicitam et operosam aeque postulet quam Seminarium, in quo totam spem salutis et profectus animarum de quibus summmo Pastori Christo rationem reddituri sunt, positam esse constat*[2]. Quae omnia solida ratione ac prudenti consilio in decreto de quo agimus tuentur ubi haec sub ipso initio legimus: *Dioecesanorum Seminariorum supremum regimen pertinet ad Episcopos cuiusque dioeceseos; seminariorum vero interdiocesanorum Episcoporum Collegio adscribitur qui eodem Seminario fruuntur*[3]. *Munus est Episcoporum gravissimum maxima cum diligentia Seminariis invigilare. Quod obtinebunt mandatis parentes Conc. Trid: Episcopi omnia opportuna et necessaria* [*ut pueri in disciplina ecclesiastica instituantur*] *constituent, eaque ut semper observentur, saepius visitando, operam dabunt*[4]. — Ordinarium igitur ante omnia suorum tirocinium clericorum maximi facere oportet quos quasi oculorum pupillam Ecclesia, omni aetate, habuit. Seminarium igitur prudenter et [meminerit Sacrorum Antistes] juxta Tridentinae Synodus placita constitutum, sapienter ipse regat; in Seminarium omnem curam Episcopus omneque studium conferat, ac suis ipse commodis [si opus est] valedicat ut Seminarium iuvet *nam huic, quaecumque obveniant negotia cedere necesse est*[5]. Itaque tum Mo-

[1] Encycl. *Etsi nos* ad Ital. Episcop. da XXV Feb. 1882. Cfr. Encycl. *Quod multum* ad Episcop. Hungariae, die XX August. 1886 Id. Encycl. *Pergrata nobis* ad Episcop. Lusitan die XIX Sept. legt. 1886: Id. Bull. *Quod Romani Pontifices*, an. 1896.

[2] *Instruct. ad Arch. et Episcop. Regni Hungariae*, die XVIII mart. 1896.

[3] Par. I. Cap. I, artic. 2.

[4] Sess. XXIII. Cap. 18, *De Reformatione.*

[5] Leo PP. XIII Encycl. *Etsi vos*, XXV Feb. 6882.

deratores, tum alumni, quidquid pietatis in Deum, disciplinae, studiorum est, quae ad institutionem aut ad rem familiarem Seminarii spectant, universa demum Instituti negotia pastoralis sollicitudinis cura praecipua sint, adeo ut nihil prorsus Episcopus negligat quo Seminarium verum fiat coenaculum novorum apostolorum in dioecesis bonum et incrementum, in quo [superna fovente Gratia] alumni *in honore Domini et ecclesiastica disciplina sancte religioseque educentur et sacris potissimum scientiis, juxta catholicam doctrinam, ab omni prorsus cuiusque erroris periculo alienis, i'a sedulo ac penitus excolantur* [1], ut sancte sapienterque populum Dei regere verisque imbuere documentis possint. Quo vero *facilius Episcopi detegant certioresque fiant de officialibus, de regularum observantia deque aliis quae morum honesta'em rectamque juvenum institutionem respiciunt opportunissimum erit... infra annum pluries unumquenque alumnorum privatim os ad os audire... solerti adhibita circumspectione et prudentia* [2]. – Praesertim autem sedulo advigilet Episcopus ne a sua meta Seminarium aberret, neve laicorum unquam fiat schola; tunc enim clerici qui nihil clericale praeter nomen retineant, pietate autem, doctrina, disciplina omnino carentes *non in p'ebis christianae salutem sed in perniciem* [3] futuri sunt. Melius profecto erit nullum esse Seminarium, quam sterile multorumque malorum causam et fontem exsistere.

LXVIII. — Haec omnia ut perfecte assequi Episcopus possit necesse est hunc ea libertate frui quae a SS. Tridentina Synodo illi permittitur ac vindicatur; quam adeo confirmavit Ecclesia ut Deputatorum non tam vigilantia coarctaretur quam auxiliis foveretur, quorum quidem con-

[1] *Concil. Prov. Venet.* [a. 1859]. Par. II, Cap. XVI.

[2] *Consess. Episcop. Umbr.* [an. 1849] tit. IX – Cfr. S. Carol. Borrom. *Instit'u.* Part. I, Cap. 5; Benedict. XIII. *Instruct. S. Concil. De Visit. Sacror Lim.* Cap. 6; Pius PP. X, Encycl. *Pieni l'animo* die XXIX Jul. 1906; Pius IX Epistol. *Optime nostis ad Arch. et Episcop. Aus'riae.,* die V Nov. 1855.

[3] Pius X., Encycl. *Iucunda sane.* VI idus Mart. 1904.

silia possit data etiam non sequi[1]. *Seminaria* enim *sive majora, sive minora, ita pertinent ad solam Episcoporum auctoritatem ut jus habeant illa regendi et gubernandi prout ipsis in Domino libuerit, tum quoad disciplinam et regimen, tum quoad temporalem administrationem*[2]. Quae quum ita sint nemo non videt quam absonum et a mente Ecclesiae alienum foret si hanc summam libertatem Episcopus veluti abdicaret penes civiles magistratus, qui quidem, vigilantiae aut moderationis nomine, at eo tantum effectu [numquam satis deplorando] ut clericali laicam institutionem sufficiant, omnemque Seminariorum ecclesiasticam utilitatem pessumdent disperdantque, Seminariorum negotiis non parva inhiant cupiditate. Quum igitur reipublicae moderatores aliquid huiusmodi [fraude aut vi] moliantur, his acrius obsistere oportet, nec ulla legum quarumvis auctoritas ullum moveat: sacrilegio enim nulla recta verique nominis auctoritas esse potest. — Quum denique ea sit moderatorum laicorum dominandi cupiditas [usu et experientia plurima comprobata] ut numquam concessis contineatur, sed ad nova semper et maiora tendat, in iis etiam regionibus ubi peculiares vigent de S. Seminariis cum S. Sede initae conventiones, ne civilis potestas audacius contendat quae a Summis Pontificibus nec concessa sunt nec umquam concedi consuevere summopere cavendum est. Quin etiam numquam erit necessitas qua Episcopus prohibeatur conniti ne ecclesiastica indoles et natura Instituti quid capiat detrimenti quo clerici *ex insidiis capiuntur novae cuiusdam ac fallacis scientiae quae Christum non redolet*[3], idque nullo legum aut conventionum colore umquam permitti ab Episcopo debet. Agitur de re summi momenti, summi

[1] Cfr. S.C. Concil., *In Oscen.* Octob. 1585; *In Sa'ernit.* 1589; *in Fundan.* 26 Mart. 1689; *In Curiens.* a. 1594: *in Tricaric.* 25 Mart. 1736; *in Lucan.* 1 Nov. 1616; *Instruct.* ad Episcop. Americae Meridion. die XV Mart. 1897; Benedict. XIV, *De Synod. Dioeces.* Lib. V, cap. II, n. 5: Lucidi, *De Visit. Sacr. Lim.* Vol. II, cap. 6, § 5, n. 101 et seqq.

[2] *Concil. Prov. Tolosan.* [a. 1850] Cap. VI, decret. 136 — Cfr. *Concil. Prov. Auscitan.* [a. 1851] tit. V, Cap. I, decr. 175.

[3] Pius PP. X, Encycl. *E Supremi* die IV Oct. 1903.

pretii, summaeque necessitatis a qua vita ipsa Seminarii pendet; satius igitur nemo se in his tuendis conservandisque adlaborasse dixerit[1].

## Articulus III.

### De disciplina coercendi.

#### § I. — Correctionis normae ac principia.

Summae rerum. — LXIX. Coercentis disciplinae utilitas. — LXX. De Iustitia. — LXXI. De discretione. — LXXII. De charitate et de malae coercitionis damnis.

LXIX. — Quemadmodum sua peritus arte agricola non tantum situs, solis ac alimenti varietatem vitibus excolendis opportune distribuit, sed etiam supputatione usus foliis ramisque superfluis ac noxiis illas exuit, ceteraque contraria sollicite depellit, ita nec ecclesiasticus quidem Institutor iis quae indigitavimus industriis ac artibus contentus esse oportet; sed ubi clericus contumacem se exhibeat ac boni ordinis perturbator appareat, hunc etiam tum monitionibus, tum etiam poenis adhibitis coercere opportune [etsi cum charitate maxima] opus erit. Profecto clericorum institutio magis amore quam timore perficienda est; id tamen non impedit quominus si amoris curae ad rem non sufficiant, etiam stimulos timoris alumnus persentiat.

LXX. — Nihilominus quum adolescentes ac etiam sacrorum alumni homines sint, numquam etiam in coercitionibus cum illis quid agendum erit quod normis iustitiae, discretionis ac charitatis utcumque sit contrarium. Hae autem normae brevi sic contrahi possunt:

*A*). — Coercitionis fundamentum *iustitia* esto: haec autem postulat ut qui coercet:

1). Sui animi motibus seu passionibus obsistat, maxime autem superbiae ac invidiae, irae,

[1] Cfr. Leo XIII, Epist. *Iampridem nobis*, ad Epsicop. Borussiae, die 6 Jan. 1886; *Syllab.* Propos. 45, 46; Santi, *Praelect.* Lib. V, tit. V.

zelotypiae, aversioni ac ultionis cupiditati. Secus enim alios meliores non efficiet at in deteriorem ruinam coniicet; seipsum autem coram Deo et hominibus reum constituet.

2). Damna etiam caveat quae ex passionibus alienis evenire possint: hinc non faciles prebeat aures delatoribus sed eorum artes ac insidias detegere curet, ac meminerit uberrimam colluviem malorum quae remedium non sustinent ex credulitate nimia exoriri.

3). Sententiam summa cum aequitate ferat ita ut quae dubia sint numquam veluti iam certa proferat, animum numquam iudicet, conclusiones numquam praemissis maiores efferat, inquisitoris partes ne suscipiat ac minus etiam, specie ac praetextu alumnorum virtutem ac patientiam experiendi, quae non consistunt ipsum fingere licet.

4). Cum aequitate etiam poenas inferat in re decernenda, ita ut reum iure se defendendi non destituat, poenas culparum gravitati accommodet, alumni bono nomini [quo tutius fieri poterit] parcat, eidem etiam si reo debitam reverentiam exhibeat, unicum reatum bis aut iterum ne plectat, praedilectionemque cum alumnis ne adhibeat.

*B*). — Coercitionis dux *discretio* esto: quamobrem:

1). Nec mora, nec festinatio nimia in puniendo sit: nec omnia prorsus simulque animadversa quis velit; sed cum patientia, moderatione ac misericordia in medio [ubi tantum virtus est] Institutor consistat.

2). Opportuno tempore animadversio fiat, ac propterea numquam in aestu passionis tum propriae tum alienae, sed, quantum fieri possit, expectetur tempus in quo alumnus [divina iam fovente gratia] animadversioni cum fructu suscipiendae paratus sit, ac ita quidem ut illam nonnisi in suam uti-

litatem fieri ipse probe nosse valeat. Animadversio vero fiat ubi necessitatis aut utilitatis ratio constiterit, differatur autem ubi nulla sit emendationis spes.

3). Ea etiam pro diversitate personarum diversimode fingatur ita ut ratio habeatur aetatis, animi fortitudinis, debilis voluntatis, indolis, temperamenti ac passionum, praesertim vero ignorantiae aut malitiae ex qua forte culpa processerit: sed valetudo quoque alumni spectanda erit.

4). Coercitio quoque honeste et cum ordine fiat, ita ut minora numero ac gravitate poenae experiatur Institutor antequam ad graviora adhibenda cogatur: etenim ubi illa sufficere possint, contra iustitiam erit ad haec manus admovere.

*C).* Coercitionis consiliaria sit *charitas* cuius est non modo percutere [et quidem tantum quantum emendationi satis esse possit], sed etiam percussis mederi eaque curare. Quapropter illius qui coercet officium erit:

1). Delinquentem a delicto ita mente ac existimatione secernere ut illum amore, hoc vero odio prosequi simul possit: is enim qui errat non desinit esse quem Christus usque ad mortem dilexerit.

2). Modo agendi loquendique uti quam mitissimo ita ut nihil in his quod offensionem ac irritationem animo movere possit. Deviteutur quam maxime contentiones ac rixae, ac potissimum irrationabilis ille ac detestabilis mos exasperandi animum rei ad hoc ut ille, in furorem versus, uberiorem praebeat puniendi segetem.

3). Ab inceptis desistere statim ac quid erratum a se fuisse compererit; quin etiam ea sit animi fortitudine Institutor ut non vereatur suum reddere illi quem iniuste depresserit qui, utut tenuis condicionis, iure tamen fruitur ut pro meritis habeatur.

4). Summa niti ope ut alumni ex correptionibus proficiant ac emendetur; ideo prae oculis suam infirmitatem habens ac subditorum sibi condicionem, materno veluti studio ac aposto-

licis curis contendat Institutor ut his tantum utatur mediis quae ad emendationem aptius conducere possint.

5). Placida vero sit mente semper ac tranquilla, quo pacto nec spem umquam abiiciet, nec vires animi demittet.

6). In Domino artem coercendi studiose addiscat qui peccatoribus maxime sui amoris divitias pandere solet, in puniendo autem iustitiam misericordiae miro consociat modo, cum summa patientia expectat, redeuntes vero statim amplectitur, debita dimittit, ac cito oblivioni dat.

7). Culpa expiata, poenitentem relevet ac [circumstantiarum habita ratione] eodem quo antea gradu ac existimatione illum habeat omnino.

LXXI. — Haec omnia, sine quibus correctionis nullus vix erit fructus aut utilitas, saepius ab Institutoribus iam longe posthabentur, idque ex fallaci prorsus iniustaque ratione quam fingunt ex eo quod quum clerici iuvenes sint nihili cum illis haec facienda sint, a quibus cum iam sacerdotio auctis abstinere solent. Quare deploranda, ut plurimum, nimiam castigationum frequentia ac inopportunitatem, qua fit ut quum nulla ratio habeatur condicionum in quibus alumni versentur, adolescentes potiusquam emendationem, hypocrisim exhibeant, Seminarium a: Institut res quodam veluti coeco odio prosequi assuescant quo omnis clericalis institutionis utilitas misere deperditur. Nihil enim speres aut obtineas quando amoris et fiduciae locum occupaverint pavor ac animi aversio; potissimum contra attendatur peculiares curas ac studia adhibenda esse quum agitur de iuvenibus educandis, ut Institutor totus sit in eorum tum positivis [ut aiunt] tum negativis necessitatibus occurrendo. Has autem heic enarrare nostri propositi non est; at qui instituendi peritia polleat nullo negotio ipse inveniet quae sint.

LXXII. — His praenotatis quamvis nemo prudens Moderator coercendi necessitatem denegaverit, attamen nobis suaderi non potest quid utilitatis ferat in Seminariis poenas supra omnem augere modum. Etenim *quibus severitate*

*oenarum opus est coercendis haud digni sunt huius vitae instituto*[1], et si quis clericus se tantae contumaciae praebuerit ut veluti intermisse in illum animadvertendum sit, iam nulla ratione Dei ministerio aptus apparebit, ac propterea potius quam cotidianis poenis vexari ac torqueri, satius erit illum opportune dimittere in saeculum ubi maiorem licentiam nancisci poterit. Qui enim emendationi facilis non fuerit nec Dei servitio aptus erit, et qui autem non emendatur nisi quum alter vim illi fecerit, numquam dux ac magister populo Dei esse poterit qui quidem tales omnino sibi pastores expostulat qui illi et sal esse possint et lux. — Hinc magis concedimus castigationum infrequentiam veluti certam normam esse recti in Seminario ordinis. Profecto si animadversiones perpaucae sint ac minoris prorsus momenti ac, e converso, floreat disciplinae studium, indicium hoc erit boni spiritus qui tantum sedulam observantiam parere consuevit. Ubi vero contrarium invaluerit [quod numquam satis dolendum] indoles ipsa clericalis institutionis funditus evertitur; Seminarium autem ex schola sanctitatis ac virtutis in ergastulo conversum, iam nonnisi in ruinam multorum positum esset. Nonnulli qui res nostras non plene polleant fortasse nos tamquam illos qui modum in rem ponere nesciant tradent; at laudem prudentiae a peritioribus nos adepturos esse bonam spem fovemus.

## § II. — Quae potissimum in clericorum coercitionis praxi sint servanda.

Summae rerum. — LXXIII. Alumnorum coercitionis necessitas. — LXXIV. De admonitione mutua. — LXXV. Ordo in delictis inquirendis et in iisdem puniendis.

LXXIII. — Ex his quae summis labiis delibavimus iustitiae, discretionis ac charitatis normis in coercitionum negotio peropportunum erit nonnulla ad praxim [ut aiunt] magis accommodata atque clericorum institutionem pro-

[1] *Concil. Prov. Coloniens.* tit. II, Cap. XXVII.

pius respicientia eruere. Etenim quamquam cuiusvis sodalitii correctori officii debitum sit suorum subditorum mores coercere, maioris necessitatis res haec in clericis perhibetur. Ac quum in his totum hoc negotium aetatis adiunctis, fini proximo clericis adsequendo accommodandum sit, quibus omnibus, etiam respondent peculiaria officia in ceteris Moderatoribus liquet huiusmodi onus, ex gravi etiam conscientiae officio, ab ipsis sustinendum esse pro gradu ac momento munerum quae illis concrediti fuerint.

LXXIV. — At quum tanti negotii res sit apte et opportune corrigere quod etiam peculiarem quandam auctoritatem in corrigente postulat, cavendum est ne alumnis ex officio id muneris in invicem committatur. Id tamen non impedit quominus Moderator spiritus alumnis auctor esse possit ut peculiarem sibi quisque monitorem eligat, quod, si discrete fiat, magnum aliquando incrementum ac profectum spiritualem parere consuevit.

LXXV. — Singuli autem Institutores curent ut rectus disciplinae ordo in omnibus servetur cum minore qui fieri poterit coercitionis usu. Quare:

*a*) In primis studendum est in alumnis excipiendis; advigilandum deinde ut disciplinae sedula adhibeatur observantia ita tamen ut omnia ex sincero ac genuino supernarum rerum studio fiant. Insuper promoveatur aemulatio, ac postremo sapienter dimissiones alumnorum fiant iuxta ea quae mox tradituri sumus;

*b*) Statuatur cum aequitate ac fideliter servetur ordo quidem ascendens munerum quibus coercitio adnexa sit, prout iustitiae ratio tum a clericis, tum a Moderatoribus ipsis requirit, ac ita potissimum ut coercendi facultas pari gressu cum Moderatorum iurisdictione et gradu procedat;

*c*) Severe cohibeatur immoderatus delationis usus; nam qui nunc in Seminario foveretur, in dioecesi postea invalesceret cum gravi utriusque detrimento. Ad hoc autem confert si Institutores ac alumni probe noverint quousque in singulis extendatur officium ad laborandi ad incolumitatem ac incre-

mentum Seminarii quod rerum moralium cultores pluribus docebunt. Interea autem Moderatores faciles ne praebeant aures, neminem inauditum damnent, ac etiam in sententiam ferendam audiant tum qui pro reo, tum qui contra illum testentur, idque sine ullo partium studio. Denique si quemlibet ex alumnis delatoris partes facilius suscipere videant, illi silentium tandem imponant, ne mala hypocrisis tristisque diffidentia alumnorum animos occupet in eorum perniciem;

*d*) Si graviora deferantur id [ut plurimum] scripta fide confirmari postulent, ac in primis sedulo perpendant quid inter accusatorem et reum iam actum fuerit, vel agatur, vel etiam agi possit. Deinde accusationem ipsam coram Domino considerent absque ullo partium studio; rei notitiam inter quam paucissimos ac discretissimos contineant, nomen accusatoris reo ne pandant, ac magis etiam unum coram altero audire devitent, nisi quum summa rei cognoscendae necessitas id postulaverit. Caveantur etiam contentiones, disputationes ac rixae; parcatur nominibus offensionis aut cuilibet rei innuendae quae offensionem alumno praebere possit quin tamen in illius sit potestate, utpote si quolibet vitio corporis laboret, vel si ingenio tardus sit, vel si opibus Seminarii alatur, si cognomen ambiguum in dedecus verti possit, etc; nam huiusmodi omnia offendunt nec emendant ideo correctionis bono contraria sunt;

*e*) Ne adhibeantur ea puniendi argumenta quae vel suapte natura, vel ex personarum, locorum temporumque adiuncta valetudini noxia evadere possint; hinc potissimum abstinendum est ab afflictationibus corporis, quo etiam [plures apud gentes] contra leges publicas offendi potest;

*f*) Perpaucae sint correctiones coram ceteris et multo minus omnibus alumnibus inlatae; nam conscientiae officio Moderatores adstringuntur ut bono subditorum nomini parcant quam maxime, nec minorem reverentiam cuilibet contubernio aut sectioni debent;

*g*) In coercendi negotio id optimum quod minimum, immo ubi minora sufficiunt, maiora absque culpa non adhibentur; nominatim autem memorandum est quod moralium cultores rerum doc nt: secreto, videlicet, animadvertendum quod in secreto peccatum est, nec semper publice puniri posse qui in publico peccaverit. — Meminerint autem Institutores ex potissimis causis quae optatum institutionis clericalis fructum frustrantur immodicum ac praeposterum coercitionis usum esse. Hinc summam illis rem esse noverunt vulnera quae ab omnium bonorum inimico inlata sint non modo coercitionis aceto urere, sed etiam charitatis oleo fovere, ac optimo sincerae condonationis balsamo linire, ita ut fere nullum iam illorum vestigium supersit.

Quam saluberrimam artem Bonus ille Samaritanus nos omnes docere dignetur ac sua Gratia et Spiritu cumulare quam uberrime[1]!

## §. III. — De Clericis dimittendis.

Summae rerum. — LXXVI. Quanti negotium sit clericorum sapiens dimissio. — LXXVII. Qui dimittendi sint. — LXXVIII. Dimissionis causae singillatim expenduntur. — LXXIX. Missio opportune facienda est. — LXXX. Cautelae adhibendae praecipuae.

LXXIX. — Quod florum excolenti munera nonnumquam accidit qui quantascumque curas ac industrias arte sua bene compos adhibeat, haud tamen semel septis in hortis malas herbas vepresque evellendas reperiat; idipsum in sacris quoque Seminariis evenire consuevit quum interdum alumnorum frequentia ac varia animorum condicio | novarum

[1] Quae hucusque tradidimus de coercendi disciplina, argumentum nostrae secundi voluminis partis alterae operis *Elementi di Pedagogia ecclesiastica* absolvunt; igitur si lector huius momentosae rei pleniorem notitiam assequi velit, in eodem plane optata inveniet.

saepe rerum accedente cupiditate] quosdam ita comparatos moribus exhibent ut sacerdotio [cuius tamen olim desiderio flagrabant] idonei iam haud comprobentur. Ut igitur ea damna ac detrimenta quae dyscolorum cum bonis una simul conversatio parere consuevit caveantur, utque praeterea in Seminariis sacer ille divinarum rerum ardor [qui clericalis institutionis caput est] foveatur ac servetur, sicuti confestim evellenda sunt zizania quae bono frumento ruinam parent, ita etiam singulari studio curandum est, ut prudenter quidem at nulla interposita mora, ad saeculum redeant qui sacris altaribus numquam, aut nonnisi fraudolenter operaturi sint. Hujusmodi debiti officium Rectoris Seminarii et Episcopi est, cui si quis umquam, profana consideratione falsus deficiat, pessimae proditionis reus in Ecclesiam constituetur; quae quidem [satius id nemo dixerit] nihil est quod non possit pertimescere ac reformidare mali ab his sacerdotibus qui debita vitae sanctitate non praefulgeant.

LXXVII. — Porro quaerentibus quinam e Seminario dimittendi sint aptior responsio non occurrit quam quae his Synodi Tridentinae verbis redditur: *Dyscolos et incorrigibiles ac malorum mores seminatores* [Episcopi] *acriter puniant, eos etiam si opus fuerit expellendo*[1]: quae verba decretum S. C. EE. et RR. ita interpretatur: *Dimittantur incorregibiles, illi scilicet qui, habitis studiosis monitis ac opportunis reprehensionibus, haud multam afferant spem sese ad meliorem frugem recipiendi, et qui malo exemplo caeteris sint, qui alios inducant ad defectiones, praeceptorum trangressiones et arrogantiam*[2]. Neque secus S. Alphonsus de Ligorio: *Sive contumaces alumni, sive scandalum praebentes ceteris omnimo eiiciantur*[3]. Contumaces autem vir Sanctus eos dicit qui multis etsi haud gravibus defectibus mala consuetudine laborantes, saepius autem moniti atque castigati nullam spem emendationis afferunt. Optimus enim sacerdos haud existimatur futurus qui negligentiae suae pessimum in Se-

[1] Decret. cit.
[2] Par. III, Cap. III, § II.
[3] *Regolamento pei Seminari*, § 1.

minario exemplum aequalibus praebet. — Scandalosi vero illi sunt qui sive contumaciam vel inobservantiam, vel furtum sociis suadent, sive [idque maxime] immodestum vel inhonestum aliquid perpetrant. Haec primo vix lapsu ferenda vir Sanctus censet, at equidem gravi atque diuturna poenitentia expianda; *tutius* tamen *consilium est eum statim e Seminario expellere quia talis ovis inquinata contagione potens est totius Seminarium corrumpere* [1].

LXXVIII. — Sunt itaque missionis causae aliae communes, aliae peculiares:

1) Peculiares sunt quae contra mores vel obedientiam admittuntur, quas nemo nisi qui moribus perditum vel seditiosum dioeceseos clerum esse velit, feret. Qui itaque his rei comprobentur ut *malorum morum seminatores* [2] statim eiiciendi erunt. *Melius*, enim, *est* [prout scribit S. Gregorius] *de ovili dominico morbosam ovem eiicere quam unius vitio sanas amittere* [3], quum perraro [ut experentia docet] huiusmodi vitia emendentur quibus qui laborant sacerdotio indigni fiunt. *Grave enim detrimentum haud videtur iuvenem hac labe infectum eiicere, sed gravissimum contra erit eius familiaritate ceteros corrumpi. Huiusmodi reis neque prudentia, neque charitas indulgent, ut uni enim si peperceris multorum discrimen parabis* [4]. — Neque *hi tantum qui pravibus moribus esse deprehenduntur inclementer removendi sunt, sed illi qui de regula ab Episcopo tradita non curabunt, et eam ex consuetudinem perfringent* [5]. Facile enim hisce conatibus disciplina periit, qua deficiente, nomine Seminarium constabit, Ecclesiae vero Christi luctus ac damni perennis fons: *nam* [sacerdotes] *et iurgia serent et plus minus latentes ciebunt rebelliones, sane triste spectaculum populo exhibentes* [6]... Haec perpendens Pius PP. X alibi etiam suam hisce sententiam expromit: *Venenatum undique aer corda hominum nostra aetate corrumpit, cuius corruptionis de-*

[1] *Homo Apostol.*, I, 4.

[2] Concil. Trident. loc. cit.

[3] *Epistolar.*, lib. III, indict. 4, epist. 7. *Ad Ioann. Episcop.*

[4] S. Alphonsus, *Regolamento pei Seminari*, §. I.

[5] *Conc. Pr. Alb.* [a. 1850] dec. II.

[6] Pius PP. X, Encycl. *Iucunda sane*, die 4 Mart. 1904.

*terrimi sunt fructus de quibus S. Iudas scribit: Hi carnem quidem maculant, dominationem autem spernunt, maiestatem autem blasphemant. Inter corruptissimos igitur mores omnis auctoritas spernitur, omnes magistratus despiciuntur. Haec vero vitia passim in clerum invaluisse de quo, contra, unum tantum esset praedicandum: Natio illorum obedientia et dilectio, summo cum animi dolore miramur. Idque maxime inter iuniores sacerdotes fit... et inter ipsos sacerdotii tirones non raro contingit*[1]. — *Itaque Episcopi* [sic SS. D. N. Pius PP. X illos monet] *ad sacros ordines tantum ascendere permittant qui revera idonei sint, ac prohibeant illos qui animi dispositiones sacerdotio haud consonas ostendant, ac praesertim insubordinationem et superbiam mentis qua illa gigni consuevit*[2]. Quapropter quum iterato atque gravius vel publice et cum contumacia ea admittantur, tunc illud S. Bernardi retinendum est: *Ne timeas esse contra charitatem si unius eiectione scandalum multorum recompensaveris pace. Melius est ut pereat unus quam unitas*[3].

2) Communes autem caussae a Leone f. r. XIII recensetur qui docet: *Dimittantur quot tempore eorum institutionis propensiones ostendant cum vocatione sacerdotali incongruas*[4]. Quum enim alumni vita omnis talia praeseferat sive imbecilli animi, vel impatientiae, aut levitatis, vel malignitatis vitia, quae omnia simul optimum Dei ministrum ita parum deceant ut eum fere indignum tanto ministerio ostendant, melius erit clericum dimittere quam [nimiae indulgentiae caussa] ineptum deinde aut nocentem apostolum habere. Apertis verbis enim S. Carolus monet eos esse tirones eligendos qui *idoneos sacerdotes ad animarum curationem evadere posse aliqua ratione ostendant. Secus e Seminario dimittantur, cum non ea de causa sit institutum ut in eo simplices sacerdotes sibi tantum utiles futuri educentur*[5]. — Valetudinis pariter

[1] Encycl. *Pieni l'animo*, die XXIX Iuli 1906.

[2] Ibid.

[3] Epist. 102. *Ad quemdam Abbatem.*

[4] Epist. *Fin dal principio*, ad Episcop. Ital. die 8 dec. 1902; Cfr. Pius PP. X, Encycl. *Pieni l'animo*, die XXVIII Jul. 1906.

[5] *Institut.* Par. I. Cap. II. — Cfr. *Istruzioni al Direttt. spirit. dei Sem.* impartite dall'Episcopato Lombardo, n. 6.

defectus vel obtusa nimis mentis acies quae annua studiorum experimenta ferre non valeat tironem dimittendum suadent; neque aliter dicendum de canonicis impedimentis quae sive quominus ille recipiatur, sive ordinibus suscipiendis obstiterint.

LXXIX. — Vitandum est quoque ne quis forte, nimiae spei indulgens, paulo ante suscipiendos ordines alumnos dimittat, qui tunc omni facultate ex tempore destituti aetateque provecti novam viam quomodo inire valeant nesciunt. Profecto si iamdiu in Seminario tiro versatus fuerit, iamdiu pariter tum virtutes eius, tum vitia innotuisse Rectori oportuit. Saltem ex ipso tonsurae tempore [quae ut in S. C. EE. et RR. decreto statuitur, quarto ante anno a subdiaconatu accipitur] tironis ecclesiasticam vocationem sedulo Rector examinet, eoque melius id inquirat negotii quo magis maiorum ordinum tempus appropinquat. Si autem iamdiu antea fuerit optime perspectum tironem ad sacerdotium haud vocari tunc statim dimittendus erit.

LXXX. — Cautelas vero ad clerici dimissionem adhibendas paucis hisce complectimur. Nimirum:

1). Extremis consiliis caveat maxime Rector quibus vel alumni statim inexorabiliter reiiciuntur, vel, contra, inopportuna indulgentia indigni quoque retinentur, ut cleri agmina, quovis demum pacto, multiplicentur. Nam tunc aut bonis ministris Ecclesia caret vel indignis abundat, quod utrumque summopere cavendum est.

2) Sententia lento atque maturo judicio eget: secus enim iustitia in alumnum, in eorum parentes, in Seminarium et dioecesim offenditur. Rector itaque, omni humano seposito studio, unam quaerat rei veritatem; saepe enim hac in re aut sui ipsius praeiudicata opinione, aut aliorum fraude fallitur. In iuventutis namque instituendae negotio haud raro accidit antipathia [ut aiunt] opiniones praeformari et hunc vel illum discipulum, vel quia adulari nescius sit, vel quia rudis originis, aut parum compta forma, quis odit vel saltem tam aegre tolerat ut, data occasione, facile dimittat. Quandoque vero non Rectoris odium est, sed vel contubernii praefecti aut magistri impatientia, quae leves aliorum defectus tolerare nesciunt; quos si facile

audiveris fere omnes brevi alumnos expelles. At, contra, prudenti examine tanti momenti causae egent; quare ita sese Rector gerat ut illius sententia si oppugnetur, sui iudicii firmas rationes non solum apud Deum, sed coram hominibus quoque ferre queat. — Quidquid de hoc negotio decernendum sit meminerit tamen Rector clericorum dimissionem de Episcopi tantum mandato peragendam esse. Rector [D. Carolus admonet] *nec recipiat quemquam, nec ejiciat e Seminario absque Reverendiss. Archiepiscopi licentia* [1]. Attamen S. Archiepiscopus prudenter addit: *poterit tamen eos expellere qui in re gravi contumaces fuerint, aut magnum aliquod erratum et publicum admiserint* [2]. At Rector qui nulla in hac re delegata sibi facultate gaudeat ullo modo e Seminario clericos expellere potest.

3) Discretio servetur. — Maximi enim ponderis negotium agitur quod [plerumque] potius silentio quam verbis aut scriptis gerendum est. Quum [ut mox recoluimus] charitas postulet ut etiam in puniendo subditi fama religiosissime custodiatur, si secreta culpa fuit secreta etiam maneat. Saepe quoque opportune maiorem culpam sub levioris mendae specie abdideris, nec omnem noxae gravitatem revelaveris.

4) Caveatur tumultus atque rumor. — Nonnulla enim Seminaria illud usque in moribus habent ut reo in coenaculo coram aequalibus genuflexo, ignominiosae missionis decretum legatur, deinde [more castrensi] ad ostia Seminarii deducatur ubi parentes eum expectant. At haec nihil aliud nisi odium aut obtrectationes et susurrationes pariunt. Quod si obiicerit quis ignominiosae missionis salutarem metum alumnis futurum, respondemus non metu tantum sed amore quoque atque prudentia ecclesiasticam institutionem perficiendam esse. Idcirco, e contrario, humaniter agenda res est, cumque praesertim studiorum anno expleto, rusticationis caussa alumni discedant, tunc cum parentibus suaviter ita agendum est ut qui dimittendi sunt non redeant. — Quando id autem infra annum agendum erit, tunc aut simulata familiari necessitate, aut cuiusdam morbi

[1] *Institut.* Par. II, Cap. 2. [2] Ibid.

curandi adducta causa initum consilium Rector tegat: plerumque vero [quum praesertim parentes satis prudentes videris] revocandum sponte filium suadebis. Uno verbo: hac quoque in re diu orabis atque perpendes, parum loqueris, nihil fere scripseris, et tranquille ac cum charitate omnia perficies.

## Cap. II.

## DE INSTITUTIONE SPIRITUALI CLERICORUM INDIRECTA ET PERSONALI

### PROOEMIUM.

Ex illis quae [prout propositi nostri ratio ferebat] de indirecta et impersonali disciplinae opera in spirituali clericorum institutione brevissime tradidimus, ad ea quae indirecte quidem sed in personas tamen praecavenda sunt atque ad omnes Seminarii Moderatores pertinent, quum tum eorum personas, tum eorum actiones moderentur, transitum facimus.

### Articulus I.

### De Moderatoribus ac Officialibus.

#### § I. — De Moderatoribus in genere.

Sumae rerum. — LXXXI. Ad quid assumantur. — LXXXII. Quomodo sint assumendi. — LXXXIII. Quid in illis requiratur. — LXXXIV. Quo studio advigilandi sint. — LXXXV. Qua ratione moderandi. — LXXXVI. De eorum consilio exquirendo.

LXXXI. — Omnes, quotquot hoc nomine censentur, ut pro sui muneris ratione bono spirituali clericalis institutionis summa ope consulant ad id maxime animo et labore

contendere oportet. *Illud praecipue* [sunt S. Caroli Borromaei verba] *sacerdotes omnes contendant pro viribus ut clerici eum finem qui expectatur assequantur* [1]. Neque secus Leo f. r. XIII monet scribens: *Universim* [Seminarii Moderatores] *eo adnitantur ut adolescentes sibi commissi non externa tantum disciplina contineantur, vel quasdam tantummodo habilitates clericali statui proprias acquirant, sed id totis viribus agant ut ad pietatem veram studiumque gloriae divinae et salutis animarum accendantur, ut spiritum abnegationis vocationi ecclesiasticae suapte natura congruentem pectore concipiant et in solidis virtutibus quotidie magis adolescant* [2]. Quapropter ut Moderatores suo difficillimo simul ac gravissimo muneri pares sint, spiritu nimirum ferventes ac sanctis moribus pollentes, et ut ea quae spiritus sanctitatisque sunt alumnos suos exemplo docere valeant, omnino necesse est. Sedulo igitur seligendi, summoque studio ad vigilandi, regendi et adiuvandi clericorum Moderatores sunt.

LXXXII. — De eorum delectu omnes prae oculis habeant S. P. Leonis f. r. XIII verba: *Maxime interest ut ad instituendos sanctuarii alumnos iuxta vivam imaginem D. N. I. C., quod tota complectitur ecclesiastica institutio, moderatores et professores cum diligentia peritiaque sui officii exemplum vitae omnino sacerdotalis coniungant. Integrae vitae ratio Superiorum vox est maxime iuvenibus eloquentior ac suadentior ut in eorum animis proprii muneris persuasio ac boni amor inspiretur* [3]. Idem vero Pontifex Hungariae Episcopis sapienter statuit: *Efficite ut litteris disciplinisque tradendis, lecti viri praeficiantur in quibus doctrinae sanitas cum innocentia morum coniuncta sit ut in re tanti momenti confidere eis iure optimo possitis. Rectores disciplinae, magistros pietatis eligite prudentia, consilio, rerum usu prae ceteris commendatos, communisque vitae ratio auctoritate vestra sic temperetur ut non modo nihil unquam alumni of-*

[1] *Institut.* Cap. II, Par. I.

[2] Epistol. *Fin dal principio del Nostro Pontificato.* ad Italiae Episcop. die VIII dec. 1902.

[3] Instruct. S. C. EE. et RR. *ad Arch. et Episcop. Hungariae,* die XXVIII Ma. 1896.

*tendant pietati contrarium, sed abundent adiumentis omnibus quibus alitur pietas, aptisque exercitationibus incitentur ad sacerdotalium virtutum quotidianos progressus* [1]. Hoc ipsum brevissime S. Carolus tradit: *Seminarii officiales omnes integritate conspicui, vita et moribus probati sint* [2]. Propterea in illis eligendis quam cautissime procedere oportet, ita ut hi soli qui non tantum Ecclesiae haud obfuturi, sed etiam maxime illi profuturi sint assumantur atque deputentur. *In magistrorum delectu nimia nunquam erit animadversio et constantia: ad doctorum enim exemplum plerumque componuntur discipuli. Quare officii conscientia freti prudenter hac in re at fortiter agitote* [3].

LXXXIII. — Idcirco eligant Episcopi Moderatores fidei et morum integritate conspicuos, doctrinae preclaros, pietate et prudentia maxime commendatos, qui ut diligantur diligant, qui discipulos ut filios carissimos foveant, gravitate venerabiles, mansuetudine amabiles, in quibus sit auctoritas sed modesta, vigor sed non exasperans, amor sed non emolliens, ut segnities excitetur, levitas reprimatur, ardor laudetur et crescat. — Insuper indole egregia rectoque animo sint praediti et in vera sui abnegatione exercitati ut invicem, cum Rectore et Episcopo semper coniunctissimi idem sentiant, idem dicant, eadem mente eadem agant sitque illis *cor unum et anima una*. — Tandem Apostolicae Sedis, Patrum et Doctorum vestigia quam fidelissime premant, Ecclesiae *Dei vivi quae est columna et firmamentum veritatis* [4] sensum quam arctissime complectantur, sententiam quamcumque ecclesiastica auctoritate reprobatam etiam sibi reprobandam ducant, atque iudicio de quacumque doctrina a S. Pontifice lato ex animo adhaereant. Cavendum simul ne post decreta a S. Sede emissa nova effugia novasque ad obtegendam inobedientiam cavillationes excogitare sibi praesumant, sed iudicio apostolico pure et sincere contenti sint, prae oculis habentes regulam illam D. Augu-

[1] Epist. *Quod multum*, die XX Aug. 1885.

[2] *Institut.* Par. II, Cap. 1.

[3] Pius PP. X, Encycl. *Pascendi*, n. 4.

[4] I, Thimoth. III, 15.

stini sanctissimam; *Roma locuta est causa finita est*[1]. *Ubi* enim *Petrus ibi Ecclesia*[2] et ubi Ecclesia ibi pax, veritas et salus. — Qui vero, in aliquo horum deficiant, quum nihil boni expectandum sit ex illis qui nec ea proferre valent sine quibus nulla recta istitutio intelligitur, omnino respuantur, vel si iam numeri cuiquam obeundo deputati ab eo prudenter quidem, at fortiter, removeantur. *Si vero* [ut in Crodegangi regula legitur] *cui cura committitur clericorum curam parvipenderit et aliud quam oportet docuerit, aut his aliquam cuiuslibet laesionis maculam ingesserit... ab officio amoveatur, et fratri alio hi committantur, qui eos et innocentis vitae exemplo informet et ad opus bonum peragendum excitet*[3]. Nam si secus fiat ab illis primum diripietur vinea quibus fuerit excolenda concredi a, et Ecclesia ab iis quos nonnisi solatium incrementumque illi afferri oportebat pessimum malum patietur.

LXXXIV. — Qua ratione de officialibus advigilandum sit sic S. Carolus docet: *Rector curet diligenter ut officialibus Seminarii in iis quae eorum numeris sunt pareant omnes ac eos qua debent observantia et reverentia prosequantur... Si quid in iis animadverterit quod vel scandalum afferre vel labem aspergere Seminario possit, Reverendissimum Archiepiscopum commonefaciat... Observet diligenter eorum mores et in suo cuiusque officio diligentiam, ut de statu cuiusque Reverendiss. Archiepiscopum docere possit, ut hinc ille intelligat quos ministros bonos atque idoneos in cura Seminarii habeat, ut alteri in omni progressu ad virtutem, alteri ad mores corrigendos excitentur*[4]. Episcopi vero numquam mentis oculorumque aciem avertant a rectoribus, praefectis, famulis cuiuscumque generis officialibus Seminarium adeuntibus sub quocumque titulo. Perscrutentur et aeque lance perpendant cogitandi agendique principia quibus hi reguntur, ac etiam rationem habeant de probabili suspicione quam ipsi ingerere possent nocendi quoquomodo ecclesiasticae iuventuti. Ad quae omnia assequenda

[1] Epist. 125.
[2] S. Ambrosius, *De Ecclesia.*
[3] Cfr. Harzeim, *Concil. German.,*
[4] *Instit.* Par. II. Cap. 2.

summopere conferet si huiusmodi officiales omnes [ex clerī agmine, ut plurimum, tantum seligendi [1]] vitam [certo quodam modo] instituant communem, quae melius invigilari potest atque minus periculis damnisque obnoxia est.

LXXXV. — Quod ad eorumdem moderationem attinet ut officiales omnes *observantissimi sint institutionum Seminarii quae de vita communi, pietate, disciplinae et moribus praescripta sunt* [2] sedulo Rector curet. Id autem si illi sincere diligantur, iuventur, honore afficiantur atque omni studio, tum intra quum extra Seminarii septa, si tum coram aequalibus, quam coram his quos ipsi antecedunt eorum auctoritatem foveatur, nullo negotio obtinebitur. Idcirco officiales Seminarii omnes veluti adlaboratores dilectissimos Episcopi quoque habeant, condignam ipsis rependant mercedem, eorum meritorum in posterum sint memores, modo in hac laboriosa opera perseveraverint. Ut autem inter illos quam maxime mutua sinceraque charitas vigeat singulari studio Rector curet: ad quem finem uniuscuisque munera ac officia accurate primum definiat, et ut singuli deinde praescriptum ordinem servent summa nitatur ope. — Munera vero oneraque prudenter ac discrete distribuantur, ita, videlicet, ut nimia atque inter se longe diversa uni non imponantur; externis autem ministeriis haud ita sinantur Institutores incumbere ut interna officia posthabeant, et *ne familiaritatem clericorum ament* [3] caute advigiletur. E contra ut *gravitatem cum discipulis ubicumque sint retineant* [4] studendum erit, et *si quos ex discipulis alloqui velint ne eos in cubiculum suum admittant,* sed *in schola aut in recreatione faciant* [5]. — Advigilandi ratio [ut plurimum] indirecta tantum constituenda est, hoc praesertim ordine: magistrorum curam Praefectus studiorum gerat, a Vice-Rectoris fungente contubernis Praefecti, et a rei oeconomicae gestor famuli invigilentur. Rector tandem praecipuis officialibus directe attendat et an suas regulas observent sedulo advigilet.

[1] Cfr. Lucidi, *Op. cit.*, Vol. II, cap. VI, § 3, n. 39, et S. C. Concil. *in Lucan.* 17 Febb. 1838 ad 1 et 2.

[2] S. Car. Bor., *Inst.*, Par. II, Cap. 2.

[3] Id. Ibid. Cap. I.

[4] Id. Ibid.

[5] Id. Ibid. Cap. VI.

LXXXVI. — Ad finem Seminario propositum assequendum et ad mutuam charitatem inter Institutores omnes fovendam plurimum conferet si hi tum in munera, tum in onera regiminis prudenter advocentur. Quamobrem prout Synodus Tridentina [sapientissimo consilio] curam Seminariorum Episcopum inter et Deputatos distribuit ita, prudentia duce et magistra, Rector suadetur ut omnes sui administros identidem apud se convocet, et quae experitur dubia et difficultates cum illis communicet ad mutua consilia conferenda Idque etiam opportune statutum est in decreto S. C. EE. et RR. his verbis: Rector *suam expleat actionem suos coadiutores dirigendo ac ducendo, cum quibus saltem in mense conferet: ab ipsis de statu communitatis certior reddetur: eorum consilia curet, ut futuris obsistat abusibus ac pietatem scientiamque inter alumnos promoveat* [1]. Cuius rei auctor ipse D. Carolus nobis est qui scribit: *Congregationes Praefectorum decimo quinto quoque die saltem habeantur, in quibus de clericorum disciplina et moribus agetur* [2]. Rectori vero suadet: *Convocabit saepius Praefectum studiorum, Ministrum, Praeceptores, Praefectos dormitoriorum, cum quibus ea deliberabit quae ad clericorum in moribus, disciplina, ac studiis progressionem juvandam necessaria aut utilia judicaverit. Singulis etiam hebdomadis consultationem habeat de rebus domesticis et de victu parando* [3] — Porro eadem quoque magna utilitas erit si qui Rectoris vice fungitur eodem consilio et ratione cum contuberniis praefectis utantur, suggerente [ni rei nos fallat studium] praelaudato S. C. EE. et RR. decreto in quo habetur: *Praefectis frequenti congredietur consuetudine ut de agendi ratione contubernii ipsis commissis certior sit et ita consulere possit necessitatibus* [4]... — Ceterum quod ad Praefectum studiorum attinet apertum eiusdem auctoritatis de re testimonium est quum et is de magistris apud se convocandis moneatur alio decreto S. C. EE. et RR. ubi haec legimus: *Praefectus studiorum, audito Professorum Collegio, quod quolibet mense semel [aut saepius si opus erit] convocandum erit, vigentia programma aptabit* [5].

[1] Par. I Cap. II. § I. artic. 27.
[2] *Institut.* Par. I Cap. 1.
[3] *Institut*, Par. II. Cap. II.
[4] Par. I, Cap. II, § II. artic. 39.
[5] *De ratione studior*, die XVIII Maj 1907, Cap. II.

## § 2. — De Moderatoribus et Officialibus in specie.

Summae rerum. — LXXXVII. Quae in Rectore requirantur. — LXXXVIII. Quibus illius vicarius praestare debeat. — LXXXIX. Praefecti studiorum munus qua ratione gerendum. — XC. Rei familiari Praefectus qualis esse debeat. — XCI. De Magistris ac praeceptoribus. — XCII. De contuberniis praefectis. — XCIII. De Famulis. — XCIV. Quid de sororum servitio statuendum sit. — XCV. De ceteris externis officialibus.

Quae vero umumquodque ex officiis aut numeribus sibi praecipue postulet brevi sic perstringi possunt.

### *A*). — Rector.

LXXXVII. — *Rector prae ceteris sit aetate provectus, auctoritate gravis, spectata probitate, ab omni onere residendi solutus, peritus disciplinae clericalis ac eius praecipue quae ad Seminarium spectat... atque ecclesiasticae disciplinae retinens ac studiosus et iis intelligens rebus quae sunt temporalis administrationis... Quam diligentissime curet ut in se ipso eas ad vivum virtutes exprimat quas in clericis requirit, ita ut qui illi subjecti sunt in eo tamquam in speculo expressam videant eius vitae immaginem quae illis omni studio sit effingendam. Memineritque exemplum vitae esse doctrinam, nec sibi minus cum taceat quam cum loquatur esse alios ad pietatem incitandos. Divinae in primis gloriae amplificationem, clericorum in omni virtute perfectionem semper ante oculos habeat, et ad um finem omnes cogitationes referat et curas*[1]. *Itaque ad officium rectoris imprimis* [*Episcopi*] *virum eligant doctum, prudentem, Christi Spiritu plenum, qui tum sermone, tum quae adolescentes clericos probe recteque sicut oportet, instituet et dirigat*[2].

Ad rem vero haec in S. CC. EE. et RR. decreto habentur:

Art. 25. — *Rector est Seminarii praepositus proximus: omnium primus, ut ait S. Carolus Borromaeus, qui haec addit: eique ceteri cuiuscumque ordinis in*

[1] S. Carolus Borromeus, *Institut.*, Par. II, Cap. 2.

[2] Instruct. EE. et RR. *ad Archiep. et Episcop. Hungar.*, die XXVIII Aug. 1906.

*functionibus munerum suorum ac in omnibus prorsus quae ad Seminarii referuntur utilitatem, obtemperare tenentur*[1]. *Rector itaque velut centrum est a quo vita Seminarii promanat: ad eum pertinet intima directio cum omnibus officiis ac iuribus quoad moralem, scientificam, hygienicam et materialem Instituti agendi rationem.*

Art. 26. — *Ei immediate subiicientur omnes alii ministri. Ipse autem ab Episcopo dependeat, cui continuo referat cuncta quae ad Seminarium attinent, nihilque gravioris statuat absque eiusdem consensu.*

Art. 27. — *Suam explebit actionem suos coadiutores dirigendo ac ducendo, cum quibus semel saltem in mense conferet; ab ipsis de statu communitatis certior reddetur; eorum consilia curet ut possibilibus obsistat abusibus, ac pietatem scientiamque inter alumnos promoveat.*

Art. 28. — *Eius praecipuum munus in alumnos est eos instituere ad vitam religiosam et sanctam. Utpote pater eos dirigat, idest eos moderando cum aequa auctoritate atque suavitate, fortiter et suaviter. Ipse potius quam minis et punitionibus eos terreat, in eis inspiret sensus officii et obsequii erga auctoritatem ac desiderium boni libere potius ob suasionem ac conscientiae impulsum quam ob servilem metum, iuxta monitum Pauli: Non solum propter iram sed etiam propter conscientiam*[2]*..., facientes voluntatem Dei ex animo*[3].

Art. 29. — *Cum alumnis itaque saepe opportunos habebit sermones ut eos doceat atque hortetur ad eorum munerum observantiam et usum praeceptorum humanitatis. Ut autem eos intime ac directe cognoscat non tantum privatim singulos admoneat ac hortetur, sed, pater studiosus saepius iis interesto absque tamen auctoritatis detrimento.*

Art. 30. — *Iuxta munus suum Rector invigilet sinceritati ac progressibus sacerdotalis vocationis alumnorum, eorumdemque progressum animadvertens in pietatem, virtutem, studia omniaque statum ecclesiasticum respicientia.*

Art. 31. — *Quod ad disciplinam attinet supremam ac*

[1] *Institut.* Par. II. Cap. 2.
[2] *Ad Roman.* XIII. 5.
[3] *Ad Ephes,* VI, 6.

*generalem exerceat vigilantiam in omnes et in omnia, quin tamen se nimis inmisceat rebus minimis ac secundariis suis coadiutoribus commissis. In eos fidem obstendat eisque congruam gerendi libertatem relinquat. Studeat ut auctoritatis principium integre existimetur, et regulae religiosissime serventur. Reservata suis dependentibus minorum punitionum cura, gravioribus casibus prospiciat ut debite admoneat et congruam, quatenus id necesse sit, punitionem infligat.*

Art. 32. — *Quod vero ad studia attinet invigilet ut alumni veros in variis disciplinis progressus faciant. Opportune itaque perpendat acta in quibus Professores adnotant statum quotidiani progressus in studiis et disciplina singulorum alumnorum; ius habeat scholas visitandi, alumnos interrogandi, periculis adstandi; et absoluto quovis bimestri adnotationes singulorum mittat Episcopo, vel Episcopis consilium constituentibus.*

Art. 34. — *Quod autem ad rei familiaris administrationem attinet iure gaudeat urgentes impensas ordinandi quas necessarias vel utiles ad rectam Seminarii gerendi rationem existimet, consulto prius Episcopo cum de gravioribus agatur expensis, ne statui oeconomico Instituti ullum praeiudicium afferatur.*

Art. 35. — *Tabulas generales habeat omnium alumnorum, in quibus, inscriptis nomine cognomine cuiusque ipsorum eorumdem parentum, dioecesi, patria, ortus anno, mense, ac die, ac ingressu in Seminarium, studiis expletis ac incoeptis, annuatim adnotentur contubernium, auditorium, fortuiti e Seminario egressus, periculorum annualium ac reparationis exitum, dies ss. ordinationum, praemia adepta, omnia denique quae ad progressum vel regressum alumni in pietatem, disciplinam atque studia referantur.*

Art. 36. — *Singulis annis expletis Episcopo Rector diligentem relationem subiiciat de Instituti statu morali scientifico, hygienico, atque oeconomico* [1].

### *B*). — Vice-Rector.

LXXXVIII. — Qui Rectoris vices gerit obedientia, actuosa vita, ac rerum agibilium summa

[1] Par. II Cap. 2 § 1.

peritia praestet. Illius enim ea quae Rector jusserit aut prospexerit exequi erit, ac praeterea externae disciplinae Seminarii negotia omnia gerere, de ordinis observantia sedulo curare; quae singula non modo doctrinae, sed actionis maxime prudentiam usumque postulant. Ad rem in S. C. EE. et RR. decreto haec habentur:

Art. 37. — *Munus est Vice-rectoris rectorem coadiuvandi eiusque vices gerendi cum absit vel detineatur. Vice-rector itaque peculiare obsequium in rectorem ostendat, et abstineat a dissentionibus et ab imprudentis voluntatis iactantia; semper sibi commissa tantum expleat, ac eumdem prosequatur benevola apertaque subiectione.*

Art. 38. — *Omnia ad Vice-rectorem pertinent quae disciplinam vel legum observantiam respiciunt. Eius esto assidue seduloque contubernii praefectis, vitae communi alumnorum, eorumdem munditiae atque usui praeceptorum civiliori institutionis.*

Art. 39. — *Praefectis frequenti congrediatur consuetudine ut de agendi ratione contubernii ipsis commissi certior sit, et ita consulere possit necessitatibus sive per se, sive in negociis maioris momenti de Rectoris consensu. Huic nihil celato et diebus horisque statutis eum doceat de omnibus, ut normas consiliaque recipiat quae fideliter exsequatur.*

Art. 40. — *Curam habebit ut alumni sibi omnia comparent quae propriis sumptibus comparanda tenentur, uti v. g. libros, res scholasticas etc.; studeat ut nihil in Seminarium importetur, nihil alumnis tradatur absque consensu suo. In libris comparandis maxima utatur cautela, idque aget de Rectoris consensu*[1].

### *C*). — Studiorum Praefectus.

LXXXIX. — Studiorum Praefecti *munus praecipuum illud erit ut juvenes leges Seminarii ad studia pertinentes inviolatae servent*[2], *ut media aptiora adhibeantur ad*

[1] Ibid. § 2. — Munia autem *Praefecti generalis, Praefecti disciplinae, Praefecti ordinis, Censoris* et hujusmodi in decreto numquam occurrunt. Idque iure optimo: nam quum ea nonnisi Vice Rectoris officia occupent, melius est ut desint omnino, quia non sunt multiplicanda entia sine necessitate.

[2] S. Carol. Borrom. *Institut.*, Par. II Cap. V.

*promovenda eadem studia in Instituto semper tamen de Rectoris consensu*[1]. *Quamobrem visitabit saepe clericos dum domi student et quid quisque agat diligenter agnoscet... et aliquando inquirat an Praeceptores omnes... suum diligenter munus praestent, anque a praescripta illis docendi ratione discedant*[2]. Idcirco *interdum auditoria tempore lectionum visitet alumnosque interroget ut in eis discendi ardor, in magistris studium docendi excitentur*[3]. *Quomodo se clerici gerant, quod proficiant in... studiis inquirat et si quempiam in his deficere intelligeret ad Rectorem deferat*[4]. Ad rem in SS. CC. EE. et RR. decreto legitur.

Art. 62. — *Invigilet ut diligenter habeantur acta scholastica, et in fine singulorum bimestrum paratae sint schedulae notarum ab alumnis obtentarum.*

Art. 63. — *Dirigat omnia quae pericula extrema ac reparationis respiciunt; omne studium adhibeat ut pericula cum gravitate et absque favoribus expleantur, et meritum tantum singulorum expendatur in promotionibus decernendis ad scholas superiores; scholam novis quoque alumnis assignabit eorum cognita idoneitate sive ex documentis, sive ex admissionis periculis.*

Art. 64. — *Curabit ut solemniter celebretur anni scholastici inauguratio ac praemiorum distributio, pro quorum adiudicatione opportunas statuet normas de consensu Rectoris et Episcopo vel Episcoporum Collegio adprobante.*

Art. 65. — *Singulis exeuntibus annis scholasticis diligentem de statu scientifico relationem generatim scribat simul ac de progressu in studiis ab alumnis habito, vota enuncians quae praestantiori studiorum conditioni utilia vel necessaria iudicaverit. Eiusmodi relationem Rectori obferat, qui de ea Episcoporum Collegium certiorem reddet*[5].

Quum vero maxime ad alumnorum et clericorum profectum conferat auctoritas magistri cuius nobilitas *primus* [ut vetus fert proverbium] *discendi ardor est*, summopere interest an studiis regundis Praefectus ea auctoritate et no-

[1] Decret. S. C. EE. et RR. Par. II, Cap. II, § 5, art. 60.
[2] S. Carol. Borrom., *Institut*, Par. II. Cap. 2.
[3] Decret. S. C. EE. et RR. Par. II. Cap. II, artic. 2.
[4] S. Car. Bor. *Inst.* Par. II. Cap. 2.
[5] Par. II. Cap. 2, § 5.

bilitate longe excellat, tum quod ad scientiae doctrinaeque laudem, tum, maxime, quod ad vitae honestatem et probitatem spectat. Quin immo is numquam in suo gerendo officio oblivioni dare potest doctrinarum studium nonnisi tamquam medium ad finem sacro Seminario propositum comparari, suique nobilissimi officii debitum esse, animo et labore, ad idem finem et votum enixe contendere.

### *D*). — Oeconomus.

XC. — Oeconomiae gestoris qualitates perbelle a D. Bernardo recensentur dum scribit: *Quaerendus... fidelis servus et prudens quem constitues super familiam tuam. Is enim si fidelis non fuerit fraudabit, si non fuerit prudens fraudabitur* [1]. De oeconomiae praefecto haec accuratius in S. C. EE. et RR. decreto habentur:

Art. 71. *Ad Oeconomum pertinet, sub Rectoris auctoritate, interna Seminarii oeconomica ac materialis negotiorum gestio.*

Art. 72. — *Peculiare habeat tabularium in quo de more conservet omnia necessaria documenta, praesertim rationes accepti et expensi, acta, etc. ita ut quoties postuletur, rationem diligenter reddere valeat. Initio cuiusque anni praeviam sumptuariam rationem [preventivo] computet, et expleto anno Rectori exhibeat summam rationum.*

Art. 73. — *Nunquam abstineat ab iis peragendis impensis quas Rector utiles vel necessarias existimaverit incremento morali, disciplinari atque scientifico Seminarii, iuxta art. 34.*

Art. 75. — *Saepe varias domus partes visitet ut inspiciat an omnia ordinata reperiantur, an vastationes acciderint ut cito consulatur.*

Art. 77. — *Omne studium adhibeat ut in Ecclesia vel in Sacello Seminarii omnia expedita reperiantur, nihilque desit cultui necessarium, ac debita cum decentia conserventur semper sacrae suppellectiles.*

Art. 78. — *Oeconomus, in anno facultate fruatur non tantum*

[1] *De consideratione*, Cap. XIV.

*ordinarias expensas, sed etiam consulendi urgentiores: attendat tamen graviores expensas, ut instaurationes aedificiorum, suppellectilium etc. antea adprobandas esse ab Episcopo dioecesano ve ab Episcoporum Collegio.*

Art. 79. — *Oeconomus, de Rectoris consensu, famulos seligat qui ab eo immediate dependeant. Ipse autem eorum vitae rationi invigilet tum quoad pietatem, tum quoad mores et disciplinam iuxta opportunas leges, quas ipse quidem de Rectoris consensu statuet* [1].

### *E*). — De Magistris.

XCI. — Magistri non modo summa docendorum peritia polleant, sed orthodoxiae quoque luce praefulgeant[2], externi apostolatus ministerio haud defessi, et tales sint qui disciplinae observantiam in scholis servare valeant. Secus maximis quidem laboribus inutilem fere fructum excolent. Ad rem a S. EE. et RR. C. haec statuta sunt:

Art. 66. — *Cuiusvis professoris esto discipulos cum doctrina atque ex conscientiae officio dirigere ad rerum notitia quas quis docere tenatur, prae oculis habens quod dicitur: primus discendi ardor nobilitas est magistri.*

Art. 67. — *Professores quoad munus sibi commissum immediate studiorum Praefecto subiiciantur.*

Art. 68. — *Sedulo ac diligenter horis statutis in scholis intersint, ad lectiones explicandas sese parent, statutum programma absolvant, saepe alumnos interrogent eorumque pensa corrigant, eos in studium excitent adiuventque, disciplinam in scholis tueantur, quibus vero neglectis, frustra verus expectatur progressus. Exempla per se potissimum praebeant omnium virtutum, quod eis debitum afferet obsequium. Si vero interdum quius alumnorum huic defecerit, cum Professores ad Rectorem vel Vice rectorem deferant ut apte admoneatur.*

Art. 69. — *Ne negligant Professores eos qui in scholis haud nimium ostendant ingenii, imo antequam ad novas expli-*

[1] Par. II. Cap. II. § 7.
[2] Cfr. Encycl. *Pascendi*, die VIII Sept. 1907, n. 4.

*candas lectiones procedant, certiores fiant omnes explicatam lectionem recte clareque intellexisse, quod quam maxime iuvabit ut aemulatio excitetur et omnes alumni optimum consequantur progressum.*

Art. 70. — *Quisque professor codicem habeat in quo adnotentur quotidie notulae quas alumni in scholasticis periclitationibus et in modestia ac diligentia consecuti sint. Singulis vero bimestribus ipsarum notularum mediam computet, quam studiorum Praefecto afferat* [1].

## *F*). — Contuberniorum Praefecti.

XCII. — *Contuberniorum praefecti a Rectore constituantur qui eos potissimum seliget quos, longo usu, pietate et prudentia praestare caeteris cognoverit, disciplinaeque ac progressionis Seminarii amantes* [2]. Quapropter obedientia, humanitate, studio recti ordinis et charitate contuberniorum praefecti maxime eniteant, quorum officia haec in S. C. EE. et RR. decreto statuuntur:

Art. 41. — *In praefectos eligat Rector clericos pietate, studio, intelligentia ac amore erga disciplinam prae caeteris excellentes. Ipsi autem studeant ut omnibus exemplo sint aetatem cum prudentia compensando.*

Art. 42. — *Eorum esto praecipue, tempore lectionum excepto, continuo alumnis interesse, eosque vigilantia prudenti modestaque prosequi absque tamen vana jactantia, ut quibuslibet incommodis via praecludatur, ac indolem qualitatesque cuiusque intime cognoscantur.*

Art. 43. — *Omnino curent ut ab alumnis mussitatio censuraque amoveantur, praesertim cum auctoritatem respiciant, nitentes ut ab ortu funesta deleantur initia cuiusvis haud rectae propensionis.*

Art. 44. — *Impediant pariter manuum lusus, lites, pungentes facetias, quemlibet actum quaecumque verba ecclesiasticae gravitate non congruentia; delinquentes cum caritate*

[1] Par. II. Cap. § 6.
[2] S. Carolus Borrom. *Institut.*, Par. II, Cap. 1.

*admonendo ut ad meliorem frugem se recipiant. Generatim semper invigilent ne unquam alumni variis in rerum adiunctis praeceptis deficiant perfectioris urbanitatis.*

Art. 45. — *Omnem diligentiam adhibeant ut adamussim serventur praecepta Seminarii atque dispositiones peculiares Moderatorum.*

Art. 46. — *Cum prudentia ac sinceritate Rectorem et Vice-rectorem doceant alumnorum agendi rationem, in quos neq praeventionem nec peculiarem dilectionem exhibeant.*

Art. 47. — *Invigilent ut alumni domi forisque semper nitida munditia excellant.*

Art. 48. — *Si contigerit aliquem admonere, id agant fraterna cum caritate, cum observantia et moderatione, ratione habita diversae indolis iuvenum ut eos meliores reddant* [1].

## *G*) — Famuli.

XCIII. — Famuli omnes religiosi, honesti, fideles, actuosi exquirantur: nam nonnisi qui tales sint Seminariis sunt profuturi, omnesque alii vel agendi vel saltem loquendi ratione damna ac detrimenta afferent. *Decoro ac modesto vestitu semper utantur et nigri aut suboscuri coloris; neque in Seminarium recipiantur priusq uam ad praescriptam normam induti sint, deque habitu, moribus et aetate a Rectore probationem obtinuerint* [2]. *Eorundem famulorum paternam curam* [Minister idest Vice-Rector] *gerat: alioquin illi male habebuntur, unde querelae existent quotidianae, et famulorum mutationes, qua re* [meminerint omnes] *nihil est peius* [3]. Neque secus in S. C. EE. et RR. decreto ubi haec habentur: *Oeconomus de Rectoris consensu famulos seligat qui ab eo immediate dependant. Ipse autem, eorum vitae rationi invigilet, tum quoad pietatem, tum quoad mores et disciplinam juxta opportunas leges quas ipse quidem de Rectoris consensu statuet* [4]. Insuper iidem *ne cum clericis familiarita-*

[1] Par. I, Cap. II, § 3.
[2] S. Carolus Borrom. *Institut.* Par. II Cap. 10.
[3] Par. II Cap. III.
[4] Par. II. Cap. III. § 6. artic. 79.

*tem ineant... nihil illis sub quovis praetextu dent vel ab eis accipiant... Vitent... sermones dissolutiores, libros scurriles et impuros, profanas cantiones et alia id genus... Caveant ne tempus inutiliter consumant...; domo exeuntes nihil secum asportent, neque item in Seminarium importent. Quotidie quum inferior familia statim ac surrexerit in templum ad missam conveniat...; diebus festis post prandium praesto erunt omnes ad doctrinae christianae expositionem atque tractationem*[1]...

XCIV.— Hucusque [ex proposito] de famulis tantummodo egimus, nihil de religiosarum quarumcumque Sororum servitio tradentes. Siquidem quamcumque utilitatem [vix in famulorum servitio expectandam] oeconomiam, munditiem sedulitatem quod attinet ancillarum opera conferat, in comperto omnino est, et absque alia declaratione intelligitur longe plura ac graviora esse incommoda ex ea pertimescenda. Quare nonnisi ubi extrema constiterit necessitatis ratio haec Sororum opera admitti licite poterit, et quidem cum maximis cautelis; nec [ut arbitramur] Episcopis integrum est illam permittere absque peculiari S. Sedis concessione. Haec autem [ut nobis constat] adnuere non solet nisi ubi circumspectissimae cautelae praestari possint, ad quas vero statuendas duo prae oculis habenda videntur, nempe:

1. Ut omnis et quaecumque cum ceteris, qui in Seminario degant, religiosarum Sororum relatio devitetur, ac etiam impossibilis reddatur.

2. Ut Sorores [de ancillis enim laicis nec verbum esse volumus] possint ac valeant, etiam Seminarii negotiis operam dantes, suae religionis exercitia sedulo et diligenter peragere.

Porro ad utrumque punctum ferendum necesse est:

*a*) Ut Sororum opera ea tantum spectet quae nullam cum ceteris viris aut alumnis consuetudinem postulent. Ita v. g. permittitur ut rem culinariam curent quin tamen liceat illas mensis ministrare; ut rem lintearian mundent non tamen ut lectulos sternant etc.; quia haec absque ingressu in Moderatorum alum-

[1] S. Carolus Borrom. *Institut.*, Par. II, Cap. 10.

norumque cubicula aut in refectorii aulam praestari non possunt. Id autem omnino devitandum est nam nullus omnino debet patere aditus Sororum ad viros aut vicissim; adeo ut Sorores separatam omnino habitationem, mensam, sacellum, ecc. habere debeant.

*b)* Curandum est ut Sorores ex tali Instituto deligantur quod actuosam maxime vitam spectet, ac mitem non rigidam regulam sequatur.

Ceteras omnes cautelas, si haec religiose serventur, facilis prudentia aperiet.

### *H*). — Officiales externi.

XCV. — Officiales externi ut medicus, odontoiatra, tonsor, rationum extensor, procurator negotiis gerendis, nonnisi cautissime et sedula diligentia eligantur. Interdum enim quos peritia pervulgataque fama pergratos utilesque reddunt, haud semper bonis commendantur moribus. Insuper meminerint Praesules Divinae Sapientiae monitum: *Non omnem hominem inducas in domum tuam: multae enim sunt insidiae dolosi* [2]. Et recte sane quum persaepe profani homines *bona in mala convertentes insidientur ac in electis imponant maculas* [3], interioris regiminis invasores, facultatum expilatores, tricarumque consutores fiunt. Quos si Rector temere domo excipiat, tum intestina, tum externa gravissima noxa sibi, alumnis, Semarioque imprudenter comparabitur. — Eoque minus Rector illis familiariter sese suosque facile committat; nam persaepe *sunt amici secundum tempus* [4], *socii mensae et non permanebunt in die tribulationis et necessitatis* [5]. Quapropter *amico non des potestatem super te... et non dederis alii possessionem tuam, ne forte poeniteat et te* [6]; *si humiliatus vadat curvus, adiice animum tuum et cu-*

[1] Eccles. XI, 31.
[2] Ibid. 33.
[3] Ibid. VI, 8.
[4] Ibid. VI, 10.

*stodi te ab illo*, et *ab inimicis tuis separare* [1]. Quae, ne propriae imprudentiae poenas lacrymis luant Rectores omnes meminerint; haud enim haec proprio effluximus marte, quinimo, luctuosa experientia, quotidie comprobantur.

## § III. — De ratione agendi a Moderatoribus servanda.

SUMMAE RERUM.— XCVI. Virtutum exemplaria fieri debent. — XCVII. Finem spiritualem in Seminario peropportune in omnibus provehere. — XCVIII. Idque cum discretione ac prudentia.

XCVI. — Qui sedula ea cura quam mox commendàvimus ad Seminarii munera gerenda eligantur nonnisi optimum profecto alumnis praebebunt exemplum, quum in hoc quoque eorum officium contineri sentiant, a quo si deficiant quodvis clericalis institutionis bonum incrementumque frustra ex illis sperabitur. Ideo in S. C. EE. et RR. decreto perbelle legitur: *Quisque Superior in nobile graveque munus sibi commissum animum intendat et studeat totis viribus ut fideliter, constanter, atque cum caritate illud expleat* [1]. *Omnes prae oculis habeant verba S. P. Leonis XIII f. r.: Maximi interest ut qui in tyronum animis sanctissimam imaginem imprimere debeant* [*quo opere propositum omne ecclesiasticae institutionis constat*] *verum sacerdotalium virtutum egregium specimen in suis praeferentes moribus, forma gregis sui ex animo fiant. Nihil enim est quod adolescentes adeo ad officiorum suorum observantiam alliciat quam si morum omnimoda atque absoluta probitate et sanctitate hi qui illos ad virtutem excolandam hortentur fulgeant* [2]. Tantum enim tales Moderatores alumnos sibi concreditos, exemplis non minus quam praeceptis humilitatem, modestiam, mundi fugam, solitudinis et laboris amorem, charitatem et mansuetudinem, orationis praxim, assiduam obedientiam erga Christi Vicarium et Episcopum docebunt. Quapropter Moderatores omnes *cavebunt ne*

[1] Ecclis. XI, 10.
[2] Par. I, Cap. II, artic. 24.
[3] Epistola *ad Episcop. Ital.* die VIII dicemb. 1902.

*quid committant quod ab ecclesiastica disciplina et Seminarii institutionibus alienum sit, quod aliorum mores corrumpere queat* [1]; sed immo ut tantum ac praeclarum vitae sacerdotalis exemplum alumnis praebeant quo illud Apostoli ingeminare possint: *Imitatores mei estote sicut et ego Christi* [2] omni studio atque apostolica etiam sui prodigalitate adnitantur. — Insuper magna in alumnos humanitate comitateque affluant, nec non dignitate et animi constantia ut eorum fiduciam et amorem reverentiamque simul ac obedientiam sibi certo concilient. Indefesso zelo ardeant, libentique animo tempus et vires insumentes alumnorum consulant progressibus. Meminerint se cunctis aequaliter debitores esse, ac proinde eamdem benignitatem et diligentiam omnibus exhibeant, nec prae singulari erga spectatiores cura ceteros negligant.

XCVII. — Quin etiam nobilissimum officium suum [quo ut clerici sanctis imbuantur moribus summis curare viribus tenentur] semper animo reputantes suo, ut hos ad spiritualia alliciant, nihil praetermittentes quo prudenter et opportune clerici per saluberrimas pietatis semitas [quibus ima summis hominumque res apostolicis studiis iunguntur], quam maxime animum suum eo intendent ut *adolescentes qui singulari Dei beneficio sunt delecti ut in Seminario instituantur, id potissimum intelligant cuius gratia Concilii Tridentini decreto Seminaria sint instituta: et intelligentes saepius animo repetere omnesque nervos intendere ut illud, divina suffragante ope, ad animarum salutem, ad... Ecclesiae utilitatem et Pastorum solatium consequantur* [3]. Ac ita v. gr. quidquid Rector loquatur operaturque ea ratione agendum est ut spiritus illius rationem exhibeat quo filii Dei aguntur. Idemque corrigendo quam charitativa ratione animorum morbis medendum sit ostendat, laudando aut praemiando Christi remuneratoris imaginem in mentem revocet, eademque ratione cetera agat.

[1] S. Carolus Borrom. *Instit.* Par. II, Cap. I.

[2] I Corinth. IV. 16.

[3] S. Carolus Borrom., *Institut.* Part. III. Cap. I.

Numquam vero aliquid tam profanum atque a divinis alienum loquendum illi occurret quod spirituali aliquo verbo ita vivificari haud possit ut ad divina [quorum salubri meditatione sensus et affectus sanctitatis bono maxime proficient] clericorum mentes prudenter utique et sine sensu extollantur. — De Vice-Rectore dicendum id quoque est: quo magis enim operi negotiisque temporalibus insistit, eo magis ad spirituale bonum promovendum humanissima agendi loquendique ratione uti debet, quam rite nemo aestimet nisi qui Dei spiritus repletus sit atque externi ordinis bono interni utilitatem incrementumque contineri pernorit. Ita enim intimae virtutis actus qui ad habitus quoque moresque animi heroicos viam sternunt aptissimam maxime promoventur augenturque. — Magistrorum quoque id muneri officioque est ut inter alumnos veram solidamque doctrinam simul cum virtutum et pietatis augmento promoveant ita ut maxime in clericis pietatis sensus foveant, divinarum rerum ardorem studiumque eos sedulo fideliterque docentes. Ad hoc ante omnia *in explanandis auctoribus magister discipulis proponens facta preclara documentaque veterum notet et in manifestum ponat quantum exigua et imperfecta, quantum in multis fuerint a veritate devia. Insuper demonstret quantum per fidei revelationem emendati fuerint mores, quantumque per eam omnia perfectiora evaserint*[1]. Nec satis: sed omnia quae *exponent ea ad rectam disciplinam egregiamque morum informationem, praeclaris interpretationibus traducere conentur, ac in suis explicationibus aliquid ad laudabilem vitae insitutionem semper interponere studeant*[2], ita ut *quando occasio se praebuerit in id intendat peculiari ratione ut auditores suos ad obsequium et amorem Dei ac virtutum quibus ei placere oportet moveant, utque ab ipsis studia ad finem hunc referantur*[3]. Hoc enim pacto Christus omnia tironibus fiet, atque veluti nitidissimum iubar universas eorum animorum latebras Divinae Sapientiae suae radiis collustrabit dilectionisque Suae igni-

[1] *Concil Prov. Lugdun.* [a. 1850] decret. XXVI,

[2] S. Car. Borr. *Inst.* Par. II, Cap. III.

[3] Barbarigus, *Constitut. Sem. Patav.* Par. IV, Cap. XV.

bus fovebit aletque uberrime. Enimvero qui Jesum veluti omnium humanarum divinarumque doctrinarum causam, compendium, finemque haud existimet, numquam suo dignus nomine clericorum Institutor censebitur, neque apostolus, multoque minus apostolorum altor ipse erit. — Res haec contuberniorum Praefectis minoris negotii erit qui, quamvis ne alumnorum suorum conscientias ulla facessant importunitate summopere cavere debeant, at tamen ut illi ecclesiastico eo spiritu imbuantur cuius impulsu agant quidquid cogitent loquantur, operentur, iugi studio, curare non modo possunt, sed quoque debent. — Unum igitur omnium Moderatorum studium communisque cura sit tantum nimirum conniti animo, tantumque contendere labore ut suum cuique munus spiritualis apostolatus occasio mediumque fiat. Quo pacto tantum Sanctae Ecclesiae votis, quae sanctos praesertim sibi quaerit apostolos gregisque suae formas factos ex animo, fideliter obsecundabunt.

XCVIII. — Attamen quum nihil tam optimum medicamentum immoderate sive importune sumptum damnum non afferat, vel saltem stomachi non sit, haec omnia opportune tantum, sobria videlicet, ratione, temporibus adiunctis rerum accommodata agenda esse vix recolere necesse habemus. In spiritualibus quoque extrema vitiosa perniciosaque in praesens ac futurum esse, virtus autem medio consistere fideliter semper consuevere.

# SECTIO II

# DE SPIRITUALI INSTITUTIONE IN SE

## PROOEMIUM.

De Institutione indirecta, personali aut impersonali, agentes ea omnia breviter tradidimus quae Moderatoris spiritus operam efficaciorem parare consuevere. Iam igitur de opera ipsa, qua spiritualis Seminariorum utilitas maxime constat, facilior ac opportunior tractatio succedit, quam quidem ita absolvemus ut primum de subiecto aut munere per quod praestanda sit agamus deinde ratione qua munus ipsum privatim ac publice gerendum sit dicamus quae nostro instituto opportuna videantur.

## Cap. I.

## DE SPIRITUS MODERATORIS MUNERE

### Articulus Unicus.

### De huiusmodi muneris subiecto.

#### PROOEMIUM.

Nullam quidem institutionem absque proprio praeceptore ac magistro utiliter praestari posse vox rationis dictat. Id autem maxime de ea quae pietate in Deum ac virtutum apostolicarum cultu continetur, quae singularem omnino ac sibi propriam moderationem postulant cuius partes [etiamsi aliis rationum momentis suscipere haud vetaretur] nec Rector, nec quivis alius ex Moderatoribus, nec confessarius ipse ordinarius rite ac convenienter explere poterit. Id autem nonnisi brevi confirmatione indiget quam sequentia exhibent.

## § 1. — De huius muneris necessitate. De necessitate proprii pietatis Magistri.

Summae rerum. — XCIX. Rector conscientias alumnorum moderari nequit. — C. Sed neque ceteri Moderatores. — CI. Ordinarius confessor a Moderatore spiritus alius sit oportet. — CII. Conclusio practica.

XCIX. — Sine incommodis plurimis ac dedecore subditorum conscientias moderari Rector nequit: huiusmodi sane se immiscere negotiis idem esset ac sibi quamvis exteriorem moderationem inhibere ne conscientiae proderetur officium. Enimvero, quamvis aliquis duas veluti sibi personas tribuens, quae Rectoris sunt ab iis quae spiritus Moderatori conveniunt, apte secernat [et ita quidem ut in doctrinae morum nullum vetitum offendat] verum actionum prudentia in permagnum vocaretur discrimen, vel si minus quamlibet clericorum fiduciam ipsamque sui muneris utilitatem Rector saltem imminueret, vel etiam penitus amitteret. Ceterum jamdudum utrumque munus in Seminariis agere S. U. Inquisitionis decreti auctoritate vetitum Romae fuerat [1], quam prohibitionem recens S. C. EE. et RR. decretum ad omnes Italiae dioeceseos extendit statuens: *Moderatores ac Professores Instituti prohibentur a munere Magistri pietatis vel confessarii ordinarii simul gerendo* [2]. — Haec praecepta ab illis tantum observanda esse qui legi aperte subiiciantur, concedimus libenter; attamen quum eadem ubique rationum vigeant momenta nec minora damna eorum neglectus alibi afferat, saltem veluti norma ea sequi ab omnibus oportet. — Nec quidquam facessit negotii officio Rectoris non tantum compatris, sed quaestoris etiam partes gerendas esse. Siquidem in his omnibus Seminariis quae, D. Carolo Borromaeo duce, utrumque munus separatum ad invicem voluere, nequaquam praepeditur quominus huiusmodi notitiam Rector opportune sibi comparare valeat. Ceterum alia omnia gravissima incommoda quae Seminario et clerico cuique sunt reformidanda male omnino ex eo aucto lumine compensari, cotidiana experientia et usus do-

[1] Die V Jul. 1899. [2] Par. I, Cap. II, § 4, artic. 57.

cuere. Qui etenim Rector suo par muneri fuerit, tum ex proprio, quum ex aliorum studio experentiaque nullo quidem negotio alia via et ratione comperiet quinam tandem clericus ille sit cum quo agat; non enim clerici animus mysteriosa quadam caligine obvolvitur. At vero si debito charitatis officio numquam Rector defuerit, vix quaestoris partes unquam suscipere cogetur, atque paterna pietate omnia amplectetur. Aliud quidem negotium conscientiae aliudque disciplinae consulere; quae si male confundas, etiam imminues atque omni fere utilitate destitues.

C. — Ne ceteri Moderatores easdem expleant partes non tantum ea omnia obstant incommoda quae Rectori obsistunt, sed illud etiam quod numerositate Moderatorum illa disperiet unitas quae, in spiritualibus quoque rebus [maxime vero ubi vita communis agitur] magni momenti est. - Insuper quae in Spiritus Moderatore requiruntur tanta tantique momenti sunt ut vanissima spes sit qua ea omnia apud plures invenire expectes: quin etiam spiritualis ipsa institutio cui saepe nonnisi lippi et claudicantes duces praeficientur fallaci illa expectatione plurimum periclitabitur. Itaque consueto more nemini superiorum [nisi Moderatori Spiritus aut confessario ordinario] negotia spiritus gerenda credantur, ut in S. C. EE. et RR. decreto nuper adlato cautum quoque est. Consueto diximus more; nam quod ad italica Seminaria attinet de clericorum moderatione conscientiae quidem a Moderatoribus suscipienda nulla exceptio est; at vero confessiones excipere tantum ordinario more vetatur. Proinde num lex obstet quominus extraordinariis tantum in adjunctis Moderatores omnes id numeris aliquando obeant quaestio esse potest. Quidquid de hoc negotio peritiores decernant, si quo fieri possit minus externi ordinis vigilantia cum conscientiae regimine cumuletur, recta sane interpretatio mentis legislatorum erit. Quae alumnorum conscientiae magna debetur reverentiam, disciplinae utilitatem, institutorum ipsam pacem libertatemque id postulare censemus; num recte lector ipse dispiciat.

CI. — Ordinarius denique ipse confessarius huic muneri obeundo omnino aptus [saltem juxta ea quae

communiter contingunt] haud semper censetur. Ille enim, ut plurimum, extra Seminarii septa commoratur ad quae statis diebus horisque tantum accedit, nec tantum temporis ad singulas alumnorum necessitates caute perpendendas ac discutiendas unicuique ex illis tribuere potest. Id quidem non ea mente tradimus ut nobilissimo [ut inferius dicemus] confessarii huiusmodi muneri quidquam detrahamus; nam maximam ac vix aestimandam utilitatem necessitatemque illius opera conferri concedimus sane libenter. Nihilominus nisi a mente Ecclesiae necessitateque spiritualis institutionis clericorum longe dissidens, hanc coarctare velis ad quam brevissima et paucissima consilia [omnibus fortasse animis accommodatis], quae ante absolutionem quilibet confessarius tradere consuevit, hac excellentissima sane opera veram propriique nominis spiritus moderationem haud contineri contendimus.

CII. — Quae quum ita sint, quum scilicet nullus ex illis qui communiter proponuntur veri Moderatoris Spiritus partes rite supplere queant, quilibet institutionis spiritualis clericorum utilitatem necessitatemque persentiat, tum illam, tum istam facile concedet; quae quidem operae peculiaris Moderatoris Spiritus coniungitur quoad res et negotia animi, non minus profecto quam operae Praefecti studiorum quod ad studia attinet, operae Vice-Rectoris ad disciplinae observantiam, oeconomi ad rei familiari gestionem. Ridendus igitur commiserandusque Institutor ille qui perinde ac qui finis nobilitatem concedat utilitatem vero medii deneget, haec omnia munera ad finem tantum temporalem respicientia necessaria fateatur, nullius vero momenti Moderatoris Spiritus operam qua propositum ipsum clericalis institutionis assequitur faciat. Haec sane probeque perspecta habuit Leo PP. XIII qui crebris monitionibus rem docuit[1], ac SS. D.N. Pius PP. X summopere pernorit qui ad omnem removendam ambagem aperte praescripsit ac constituit: *Nullum Seminarium Magistro careat pietatis quod utpote grave peculiareque praeceptum iniungitur omnibus R.mis Ordinariis. Ipse habitualiter in Seminario commorabitur ut paratus sit quoties*

[1] Epist. *ad. Archiep. et Episcop. Brasiliae,* die XVI Sept. 1901.

*alumni cum exposcant, prouti mos est optimorum Institutorum* [1] ut infra docebitur. Summi quidem momenti iussum cui non modo utiliter Itali parerent Sacrorum Antistites, sed externi quotquot sint omnes qui sua velint florere viridaria, atque in aeternam vitam dioecesisque bonum uberrime frugescere.

## § 2. — Quaenam in Spiritus clericorum Moderatore requirantur.

Summae rerum. — CIII. Aetas et gravitas; probitas et libertas: rerum spiritualium peritia.

CIII. — At prout ad Reipublicae incrementum utilitatemque non tam confert magistratu regi sed maxime optimis frui ducibus, ita non eo tantum Seminariorum bonum continetur quod Moderatorem Spiritus quemquam habeant, sed eo maxime quod optimum habeant. *Itaque summopere caveatur ut huic muneri praeficiatur sacerdos quem constet praeditum esse necessariis requisitis* [2], idest *aetate maturum, gravem, experientia et usui vitae spiritualis eximium, gloriaeque divinae studiosum* [3]. Quapropter [juxta D. Caroli monitum] bonus Moderator Spiritus *aetate provectus, auctoritate gravis, spectata probitate, ab omni onere residendi solutus, peritus disciplinae clericalis ac eius praecipue quae ad Seminarium spectat* [4] sit oportet.

1. Aetate provectus, etenim quamquam interdum senes annis iuvenes tamen mente quosdam esse contingat aut vicissim, tamen [prout communis ratio fert] quae animi virtutes in huiusmodi Moderatori conspicuae sint oportet nonnisi cum matura provectaque aetate coniungi consuevere, cui etiam fidentius adolescentes animum suum pandunt. Extremis tamen terminis devitatis, media annorum aetas ac mensura seligenda est ac requirenda in eo qui ad hoc munus gerendum, deputetur.

2. Auctoritate gravis. — Quapropter necesse est ut Spiritus Moderator aspectu, incessu, gravitatem digni-

[1] Decret. S. C. EE. et RR. Par. II, Cap. II, § IV, artic. 51. - Cfr. Pius X, Epist. *Pieni l'animo* ad Ital. Episcop. die XXIX Jul. 1906.

[2] Decret. S. C. EE. et RR. Par. II, § 4, artic. 50.

[3] Instruct. S. C. EE. et RR. *ad Archiep. et Episcop. Hungariae*, die 28 Maj 1896.

[4] *Institut.* Par. II, Cap. 1.

tatemque praeseferat, loquendi autem agendique ratione talis sit ut *officii sui dignitatem sustineat, auctoritatem tueatur* [1].

3. Spectata probitate, *nam turpe foret nisi semper et omni ex parte ita se gerat ut ex ipsius vita moribusque, omnes virtutis atque officii exempla peti possint* [2]. Igitur quaevis suspicio de anteacta, aut etiam de praesenti vita exoriri possit, quominus quisquis ea notetur huiusmodi munus suscipiat aut susceptum gerat, omnino impedimento erit. Tantum enim suscipitur tantique momenti munus et onus ut nulla sit felicis exitus aut utilitatis spes nisi summa quis auctoritate polleat; qua nemo fruitur qui vel sua propria culpa, vel aliorum improbitate, intemeratae vitae laude non gaudeat.

4. Ab onere residendi solutus. — Ipsa enim huiusmodi muneris indoles et natura ut Spiritus Moderator alumnis continuo praesto sit, ac propterea in Seminario resideat et commoretur postulat. Hoc ipsum de seminariis italicis constituit recens S. C. EE. et RR. decretum iubens: *Ipse habitualiter in Seminario commoretur ut paratus sit quoties alumni eum exposcant, prout mos est praestantiorum Institutorum. Si, ob peculiaria adiuncta, per aliquod tempus a residentia detineatur, Seminarium quotidie petat horis et loco statutis sacerdos externus cui munus de quo agitur commissum est, ut alumnos eum petentes audiat* [3].

5. Peritus disciplinae clericalis, etenim qui ipse ignoret nulla sane ratione ceteros erudire poterit, nec a discipulis loco et honore magistri umquam habebitur. Haec vero quae praescribitur peritia non ea tantum respicere debet quae ad bonum et utilitatem vitae spiritualis sacerdotum sunt, sed etiam ea omnia quibus clericorum sacerdotumque praesertim munia et officia continentur, ac in quibus optima et absoluta sacerdotalis vitae actio consistit. Quapropter quidquid ad adolescentium animos praesertim clericorum pertinet, tum utilitatis et incrementi, tum etiam periculi et impedimenti, perspectum illi sit oportet, ita ut nihil in clericali institutione animorum absque auxilio et subsidio dimitti debeat. Maxime autem velimus hanc scien-

[1] Id. Cap. III.
[2] S. Car. Borr., *Inst.* Par. II, Cap. IV.
[3] Par. I. Cap. II. § 4. artic. 52.

tiam non modo docendorum peritia, sed multo etiam magis vitae ipsius sapientia et praxi constare, qua primum necessitates et indigentiae saeculi cui apostoli comparentur, dein ipsius dioeceseos in qua maxime adlaborandum sit compertae omnino habeantur. Ex hac enim potissimum scientia et sapientia prudentiae inaestimabilis dos et vis consequi consuevit, cuius maxime utilitate fiet opportuna tantum et efficacissima consulere, veram clericorum vocationem dispicere ac validis tueri subsidiis. Quamobrem qui tantum *sit discretione providus, gravitate maturus, devotus honestate, Sanctarum Scripturarum gnarus, austerus in se, proximo compatiens, orationi assiduus, corde humilis eloquio verax et in omni spirituali disciplina provectus* [1], ad munus Moderatoris Spiritus in sacris Seminariis eligendus erit; nemo enim his non instructus dotibus tantis officiis minor non erit.

## Cap. II.

## QUA RATIONE HUIUSMODI MUNUS GERENDUM SIT.

### PROOEMIUM.

Qui moderationem animorum in sacris Seminariis iusta cum bonorum expectatione gerere velit non tantum debitis dotibus instructus sit oportet, sed etiam rationem nosse qua talenta accepta a Domino rite et prudenter negotiari valeat. Peropportune igitur a nobis fieri existimabitur si hanc ipsam rationem quam brevissime commonstremus, seiunctis illis quae ad privata pertinent negotia ab iis quae publicam potius operam spectant.

### Articulus I.

### De privata Moderatoris spiritus opera.

### PROOEMIUM.

Privatae Moderatoris spiritus operae obiectum ea omnia sunt quae communi moderationis animorum nomine

[1] S. Laurentius Justinian. *De Obedient.* Cap. XX.

veniunt; maxime vero quae confessarii opera et consiliarii actione continentur. De confessarii munere infra dicturi, in praesenti maxime ea quae moderatoris seu consiliarii officia presse describunt colligemus.

## § I. — Communia de hac opera.

Summae rerum. — CIV. Quae sint. — CV. — A quonam praestanda — CVI. Qua sedulitate. — CVII. Qua frequentia. — CVIII. Qua libertate.

CV. — Tanta tantique momenti ea sunt quae Moderator spiritus privata ratione cum alumnis gerere debeat ut qui hinc maxime constare dixerit quidquid utilitatis et incrementi clericalis institutio et Ecclesia exspectent, ita quidem ut hac praesertim opera munus de quo agimus cetera omnia quae Seminarii sunt officia necessitatis ratione longe antecellat, a veritate absona non proferret. Enimvero opera etiam publica Moderatori Spiritus debiti officium profecto est; at fere nullam vim et efficacitatem illa in negotio animorum assequeretur nisi privata iuvaretur opera. Etenim quos prima tantum foveret hi similes efficerentur opificibus qui optimis quidem efficacissimisque artis suae instrumentis instructi, nulla fere tamen ratione eorum usum et utilitatem didicissent. Quandoquidem huiusmodi sacrorum alumni optima quidem et utillima spiritualis vitae documenta addiscerent, nihil tamen ex illis proficerent, quum qua methodo et experientia ea suis cuiusque necessitatibus accommodent nesciant.

CX. — At sedulo considerandum est huiusmodi privatam Moderatoris actionem ab eo qui tantum modicam vitae sanctitatem praeseferat rite suscipi et expleri nequaquam posse. Nam, quum absque ullo externo fastu aut apparatu, sed tantum summa animi recollectione et modestia sit exercenda, quum centies eadem pertractet negotia quandoque fastidio taedioque plena, quum praesertim implicatissimas tricas et difficultates non tantum nullo hucusque lumine illustratas, sed nulla etiam praevidentia exspectandas

exhibeat, nemo plane qui sua quaeque utilitates et commoda iamdudum cum zelo animorum et summae sanctitatis studio non commutaverit, tantum ferre poterit laboris. Qui secus audeat is quidem immoderatus, inhumanus, imprudens et impatiens, nullum fere fructum ex magnis laboribus referet. Sit igitur Moderator spiritus in suis totus officiis, omnibus sui copiam praebeat quandocumque disciplinae ratio illum adire sinat; nemo autem, ulla lege aut arbitrio, illius operae limites quoscumque praefinire audeat, sed quam uberrimos apostolatus sui fructus illum ubique colligere et percipere permittat; quae omnia fusius sunt illustranda.

CVI. — Sit in suis totus officiis. — Summopere etenim cavendum est ne Moderator Spiritus saepius a Seminario absit, quum id incommodi plurimi ac detrimenti caussa fieri possit. Idcirco [prout communis ratio fert] a ceteris externis negotiis, aut etiam ministeriis gerendis ut plurimum abstineat, eaque oblata ne facile suscipiat. Rectoris autem est videre et cavere ne cura eorum quae minoris sunt momenti gravissimum posthabeatur officium, atque Seminario nonnisi nomen Moderatoris Spiritus maneat.

CVII. — Omnibus praesto sit quandocumque disciplinae ratio illum adire sinat. – Nulla autem personarum acceptio sit, nulla inopportuna prolixitas sermonis, nulla non necessaria frequentia foveatur; spirituali autem alumnorum bono ita studeatur ut nullum detrimentum disciplinae afferatur. At vero si [prout infra dicemus] contuberniis et alumnis aliquis ordo statuendus est iuxta quem ad sua peccata confitenda quisque accedat, nihil huiusmodi praecipiendum est quod ad Moderatoris operam adeundam attinet, quum cuicumque libera facultas esse oporteat ad illum accedendi quoties sibi expedire existimaverit. Nihilominus ipse Moderator curet ne quis huius rei praetextu utillimum studii tempus inopportune terat, quod si obtineat etiam disciplinae observantiae optime consultum erit cui accedentium et recedentium per Seminarii ambulacra frequentia non parum detrimenti afferre consuevit.

CVIII. — Nemo ulla lege et arbitrio illius operae limites quoscumque praefinire audeat. — Illa enim libere exercenda est, et integrum ius cuique alumnorum est [ut mox diximus] eadem frui quandocumque opus esse censeat. Equidem Moderatoris erit ut disciplinae detrimenta caveantur quae nimia negotiorum cum alumnis frequentia parere consuevit; at officium quoque disciplinae est ut a quacumque inopportunae vigilantiae specie aut alia officii huius perturbatione abstineat, quum quaevis libertatis coarctatio maxime praepediat operae Moderatoris utilitatem. Quin etiam indoles ipsa et natura huiusmodi muneris postulat ut Rector summa cum prudentia suis instet officiis ita ut numquam illius auctoritatis pondus Spiritus Moderatori molestiae sit. Moderator autem Spiritus nihil praetermittat oportet quo benevolum animum suum et addictissimum Rectori ostendere possit.

Quibus omnibus rite praeiactis prout ratio ac indoles propositi nostri ferebat, iam breviter in peculiares propriasque huius privatae Moderatoris operae notas et dotes inquirendum est.

## § II. — De privata Moderatoris spiritus opera singillatim.

Summae rerum. CIX. De humanitate. — CX. De pacis ac concordiae studio — CXI. De solidis virtutibus excolendis. — CXII. Quaenam media ad hoc praecipua sint suadenda. — CXIII. De apostolico spiritu fovendo. — CXIV. De alumnorum animis inspiciendis.

Omnia quae in rem disserere possumus his breviter documentis continentur:

CIX. — Moderator maximam ostendat animi benignitatem qua quidem alumnorum fiduciam et amorem sibi adquirere possit. — Ad rem D. Carolus: *Illud in primis... efficere studeat ut eum* [alumni] *tamquam parentem ament ac venerentur. Ideoque cum illis benigne agat..., adhibita tamen ea gravitate et auctoritate quam munus quod gerit et persona quam sustinet re-*

*quirit. Sic enim maxime sibi fidem conciliabit efficietque ut eius consilia salutaria libenti animo et suscipiant et exequantur* [1]. Quapropter humanitatem utique et studium foveat, non autem familiaritatem illam quam vel alumnus, vel ceteri quibus res nota fortasse fiat haud recte iudicare possint. Sit studium spiritualibus tantum, non quidem humanis argumentis aut rationibus excitatum; nec ferat aut etiam minus foveat Moderator alumni affectus immoderatos qui spiritualem operam obnubilare, aut etiam totam pessumdare consuevere.

CX. — Pacis omnibus sequester fiat. — *Familiae totius pax et concordia eius curae sit: quare animorum offensiones si quae suboriantur sedare confestim omni ratione studeat* [2]. Itaque singulari curet studio ut pace summa fruatur Seminarium; ubi contentiones fiant nullo se abripi partium studio sinat, et quae aliena a suo munere sunt ne inquirat. At summopere disciplinae observantiam et incrementum auctoritatis foveat ac tueatur; nihil enim utrique tanta afferet detrimenta quanta ex quovis vel minimo illius verbo excitari possunt. — *Receptos clericos... instruat in iis quae ad Constitutiones Seminarii spectent* [3]; nihilominus *suum tantum ad sanctissimum officium cuncta aestimet; quae ad disciplinae observantiam spectant nulla ratione pervadat; qui ex alumnis corripiantur aut poena mulctentur illum defensorem nancisci numquam exspectent* [4]. Haec enim si negligantur maximum sane praeiudicium ministerio spirituali imminet. — Caveat etiam summopere quaenam cum alumnis aut aequalibus loquatur, ac si debitam officii laudem et aestimationem assequi velit [quae animorum tantum salute et profectu sanctitatis continetur] meminerit apud omnes se nonnisi ut virum Deo plenum habendum esse pacisque studiosissimum.

CXI. — Veras ac praestantissimas virtutes summo studio excolat. — *Studeat in omnium mentibus maximum animarum zelum, propriae voluntatis abnegationem, veram obedientiam, paternam charitatem inserere... Solam illis*

[1] *Institut.* Par. II, Cap. IV.
[2] S. Carolus Borrom. *Ibid.*
[3] Id. Ibid.
[4] Decret. S. C. EE. et RR. Par. II, Cap. II, § 4 artic. 55.

*Dei gloriam et animarum salutem procurandam esse doceat et expetendam*[1]. Idque iure optimo statutum est. Quamquam enim nihil negligendum aut posthabendum sit quidquid clericos ad Dei servitium allicit ac alacres efficit, ut illi quae suae conditionis et vocationis, perfectae scilicet et sanctissimae sunt propria sibi comparent et excolant in primis curandum est. Inter quae maxima sunt charitas, sensuum mortificatio, et obedientia quibus vere sancti sacerdotes efficiuntur qui Dei suavissimo et humillimo spiritu pleni, abhorreant ab his quae pravum ac protervum saeculi ingenium et superbia vitae peperere. Quod si umquam necessarium fuit multo magis autem nostris diebus desiderandum est in quibus in oblivionem [ne dicamus in despectum] obedientiam incidisse valde dolemus. In primis igitur animi demissionem debitamque Superioribus reverentiam clericis commendet tur et suadet. Disruptis enim iam usquequaque vinculis quibus olim ima summis, [miro mutuorum officiorum ordine], religabantur, omnis fere evanuit auctoritas. Propriae libertatis immoderatus amor inconsultos multorum etiam clericorum animos in sui necnon ecclesiasticae disciplinae perniciem sollicitare et quasi infatuare videtur. Quibus ab illecebris ut cleri homines caveant omnino decet, ita ut Praepositis suis cuiuscumque gradus aut tituli sint sese addictissimos praebeant et plane subditos, non verbo tantum et opere sed et intellectus obsequio ac mentis affectu, *non ad oculum servientes, sed ut servi Christi facientes voluntatem Dei ex animo*[2]. Quo pacto tantummodo Seminarium veri nominis gymnasium clericorum evadet, suis Moderatoribus obsequentium, qui quum olim unum cor et animam unam cum eorum Episcopo effecturi sint, vere nunc in terris tamquam *gaudium et corona*[3] ab Ecclesia habebuntur, *et fulgebunt quasi stellae in perpetuas aeternitates*[4]. — *Detur* insuper *opera ut omnis ex clericorum mentibus sitis et aviditas bene-*

[1] S. Carolus Borrom. *Institut.*, Parᵉ. II, Cap. IV.
[2] Ad Ephes. VI. 6.
[3] Ad Philipp. IV. I.
[4] Prophet. Daniel. XIII. 3.

*ficiorum tollatur: ac* proinde *iis saepius inculcetur quam aversi a rerum humanarum cogitatione ecclesiastici ordinis homines in via Domini ambulare debeant* [1]. *Internascentia opimorum beneficiorum vel divitiarum desideria salutaribus monitis extinguat... et solam clericis Dei gloriam et animarum salutem procurandam esse doceat et expetendam* [2]. Porro Moderator Spiritus conetur ut clericus *sit ea mente ac voluntate ut omnino velit in bonum Ministrum pro Ecclesiae... adjumento evadere, seque, Deo juvante, purum ab onni labe conservare...: beneficiique magnitudinem agnoscens quod illi tam praeclara sit oblata facultas, toto animo singulis diebus Deo se offerat, rogetque ut sed ad praedictum finem idoneum efficiat operarium* [3].

CXII. — Doceat quemlibet artem meditandi et quotidianos excessus excutiendi, *quomodo Confessionis et Eucharistiae sacramenta suscipere, orare, missam audire eique... de more inservire debeant* [4]. *Quod ad orationem eiusque rationem spectat studeat quam diligentissime in eo quibuscumque rebus poterit clericos juvare et quibusdam regulis instruere: cogitetque parum admodum profecturos Seminarii clericos in spirituali progressu, maximisque fructibus privatos iri si vel nulla, vel non recta oratione orent. Quamobrem maximos atque uberrimos qui ex oratione, praesertim mentali, exsistunt fructus saepius illis proponat, omnique ratione ad illius studium et amorem inflammare nitatur. Imperitos etiam et in discutienda conscientia minime exercitatos edoceat: omnemque praescribat examinis modum quo illi uti debeant, eiusque rationem ab iis exigat.... Omnes hoc salutari praecepto informet, ut videlicet in matutina oratione se ipsos Deo Optimo Max. desideria sua, omnes cogitationes, actiones eius diei et verba offerant, Eiusque gloriam solam in omnibus rebus sibi proponant* [5]. Apostolos enim tantum virtutis et sanctitatis diuturnum tyrocinium parere consue-

[1] S. Carolus Borrom. *Institut.* Par. I. Cap. 1.
[2] Ib. ib. Par. II. Cap. 4.
[3] S. Car. Borr. *Inst.* Par. III, Cap. 1.
[4] Id. Ibid. Par. II, Cap. 4.
[5] Id. Ibid.

vit, quale [meminerint omnes] non intelligitur absque orationis et mortificationis studio.

CXIII. — Gradatim et prudenter quae apostolatus sunt munia et pericula tradat. — Quamobrem summa utique cum prudentia sed etiam iuxta rei veritatem alumnos moneat quid et quale sit quod dimittunt, quanta autem et quam formidanda [angelicis quoque humeris] ea quae iam amplectantur onera. Quid hodie sint et quid futuri sint, quanta hodie libertate quantisque commodis fruantur, quantis vero et quam asperis officiis olim subiicientur Spiritus Moderator clericos doceat. Inde vero [cum quodam ordine et ascensu ad graviora] aperiat summa cum prudentia ac pari sinceritate, saeculi pravum et protervum ingenium, in quo non quidem virtutibus animi et simplicitati, sed mendacissimo astui et calliditati ac dissimulationi victoriae laus et triumphum, vanissimum simul et iniquum, paratur. — Quum autem ubique sint bona mixta malis, ac quum etiam in sacerdotum coetu excellentissima niteant virtutum munera, ac etiam non pauca mala nec pauca vitia sint deploranda, nec illas super modum extollat, neque haec taceat prudens Moderator. Contra, aequa lance utrumque perpendere doceat, atque prudenter et rationabiliter ad bona clericorum animos alliciat, a malis vero eorum sensus et mores procul avertat. — Huiusmodi autem cura maxime cum illis adhibenda est qui mox gravissima onera sacerdotalia sint suscepturi, ne illa querela insonet sibi integram veritatem apertam non fuisse ac ea potissimum ignorasse quibus si novissent numquam profecto adquievissent. Equidem summopere optare ut Apostoli in Ecclesia augeantur, idque in primis habere votis, dominici gregis et ipsius Ecclesiae studiosissimi animi est ac nobilissimi. At huius propositi utilitati perperam prospexerit ille qui ut multiplicaret gentem laetitiam imminuerit, atque in Sacrorum Administrorum ordines pigros tardosque operarios impulerit, nullo sacrarum rerum studio, at ex consuetudine tantum aut otii amore ad Sanctuarium adlectos, sibi quidem inutiles, aliis vero vix profuturos, vel fortasse obfuturos quam maxime.

CXIV. — Ut autem Moderator Spiritus sollertem et opportunam navet his omnibus operam *vitam et mores uniuscuiusque exploratos habeat, ut vel ad officium revocare errantem, vel in via Domini incitare ingressos possit* [1]. Non enim prout caecus a caecis duci consuevit inscii itineris alumni ab his quibus notis non sint, per viam in quam progredi cupiunt et fortasse valent, introduci et agi commode possunt. Quare Moderator spiritus *ut poenitentibus ope sua praesto esse ac eos ad vitae emendationem ac progressum in virtute possit excitare, utilia quaedam et singillatim cuilibet opposita vitio remedia in promptu habeat, maxime vero iis vitiis adversa quibus praecipue obnoxios esse novit Seminarii clericos* [2]. Tandem *cohortationibus, piis colloquiis, documentis spiritualibus, orationibus, omnique alia ratione iuvare conetur; languentes vero, desides et a progressibus spiritualibus abhorrentes, quacumque ratione excitare et ad meliorem progressum reducere studeat* [3].

## § III. — De vocatione sacerdotali discutienda.

Summae rerum. — CXV. De negotio vocationis fortiter agendo. — CXVI. De probatione castitatis candidatorum. — CXVII. De suffragio Moderatoris spiritus. — CXVIII. Qua norma moderator regi debet in hoc negotio.

CXV. — Singulari studio curet Moderator ut alumnorum vocationem perspectam plenissime habeat. — *Hic opus* quidem *hic labor;* vocationis enim studium et inquisitio pars praecipua huius muneris est, immo tota huius caussa ea contineri videtur. Quapropter summa is nitatur ope ut cum prudentia omnimoda, cum charitate et animi fortitudine a Sanctuario procul arceat eos omnes qui certa deficientis vocationis signa dederint, aut de quibus nulla sit certa spes animarum salutem Ecclesiaeque sanctae utilitatem per eos incrementum olim

[1] S. Car. Borrom., *Institut.*, Par. II, Cap. IV.
[2] Id. ibid.
[3] Id. ibid.

acceptura m fore. Etenim S. Carolus non nodo nocentes, sed eos quoque qui inutiles olim extituri essent a Seminario procul arcendos esse censet his verbis: *Idoneos sacerdotes ad animarum curationem evadere posse aliqua ratione ostendant. Secus e Seminario dimitt antur cum non ea de causa sit institutum ut in eo simplices sacerdotes sibi utiles futuri educentur* [1].

CXVI. — Ut huic sui officii debito faciat satis, plurima ac utillima Moderator consilia et adiumenta percipiet ex iis quae de christianae vitae perfectione fuso calamo scripsere atque artem animorum dignoscendorum, et in primis sanctarum discernendarum vocationum egregiis illustrarunt monitis ac documentis. In praesenti vero [prout propositi nostri ratio fert] pauca tantum peculiaris ac practicae indolis ac usui magis et experientiae frequentiora in rem consilia addimus [2].

1). Clericus qui theologiae curriculum mox incepturus sit aut etiam a brevi incepit tempore, si diuturna ac certa firmae castitatis signa prodere nequeat, ex concordi theologorum et pietatis magistrorum consensu, suadendus est ut sacra Seminarii septa deserat, atque ad saecularia transeat vota. — Quin etiam si huius miserrimae conditionis certa argumenta iampridem habeantur, quae contrariis consuetis probationibus dissolvi non possint, nec ipse quem praefinivimus terminus expectandus erit; sed post moralem rei certitudinem adeptam dimissio fortiter et tempestive consulenda est. Idque eo magis si iam tristis cuiusvis gravis in eodem genere culpae habitus infelicem animum obligaverit. *Qui enim tali vitio inquinati sunt communiter temere et imprudenter castitatem rove rent, et a statu clericali repelli debent nisi extraordinaria dent signa conversionis et longa experientia nempe per plures annos firmitatem propositi demonstrent ac pignus perseverantiae exhibeant* [3].

[1] *Institut*, Par. I, Cap. 2.

[2] Cfr. *Norme per il direttore spirituale dei Seminarii* stabilite dai vescovi della Prov. Eccles. Lombarda

[3] Bouvier, *Prax. Confess.* Cap. IV.

2). Si quis sacro iam subdiaconatus ordine insignitus ad vetera et iam expiata delicta in genere morum relabatur, aut etiam si nova patraverit quibus vocatio in grave discrimen adducatur, is non prius ad diaconatum ascendere permittatur quam si diuturnum experimentum confirmatorum morum absolverit, pro ratione malae consuetudinis ac pro ceteris rerum adiunctis diutius protrahendum, generatim tamen non ultra interstitiorum canonicorum terminos, i. e. non ultra annum. — Eadem lex de diacono observetur qui ad presbyteratum promoveri postulet: ab utroque enim sacrorum alumno lex et ratio exigit ut tunc tantum ad maiora progrediatur quum certa sint argumenta obfirmati omnino animi in bono, adeo ut nulla malarum tentationum damna [morali saltem ratione] reformidanda ac pertimescenda sint. *Provideri debet* [sic D. Gregorius admonet] *quales ordinentur, si vita eorum continens in annis plurimis fuit*[1]. At vero qui post tot tantaque divinae Gratiae auxilia et adiumenta graves huiusmodi culpas iterum admiserit, in iisque, licet post temporis longum intervallum atque ex non plena malitia, misere relabatur, sane re et et eventu ostendit ac comprobat omnino in se maiora posse malum quam bonum spiritum, naturamque et animi indolem infirmiorem longe esse quam quae sacerdotalia gravissima onera ferre possit. Propterea gravia esse salutis tum suae propriae, quam aliorum damna ex eo pertimescenda: qui autem talis sit indignus ac impar omnino est sacerdotio, atque ne illud suscipiat severissime prohibendus. Igitur illi qui castae vitae nullam certam firmamque spem exhibere possit, non modo nihil suffragatur sed et nocet susceptiam ordinis ratio ne ad maiores ascendat. Idque ex ea etiam caussa quod primus error numquam sufficiens esse ratio possit cur gravior etiam error admittatur, ex quo non modo illi qui erravit, sed etiam dominico gregi spiritualis ruinae occasio immineat. Atque prout nemini Sanctuarium ingredi ius est nisi ex eo quod vocatus a Deo sit tamquam Aaron,

[1] *Epistol.* lb. IV, Indict. XII, Epist. XXVI, *ad Januar, Episcop.*

ita etiam Ecclesiae ius est a sanctis tantum sua sanctissima pertractari, non autem ab iis qui nomen Dei Altissimi polluant, ac animabus vero quasi Agni immaculati sanguine redemptis [1], ius sanctissimum est a legitimis ascerdotibus duci et curari in quibus Pater sibi bene complaceat, non autem a mercenariis, a furibus et latronibus, et ab his qui intus sint lupi rapaces. *Salus* igitur *populi suprema lex esto.* — Illi vero qui in hac miserrima sint conditione subdiaconi, aut in eodem permaneant statu nec superius ascendant, lacrimis et votis exspectantes *mutationem dexterae Excelsi*; aut si huic poenitentiae et humilitatis statui [in quo tamen plurimi sancti viri permanserunt ut Asisiensis Seraphinus] ferendo pares non sint, exposcant a Summo Pontifice commutationem imprudenter nuncupati voti qua liceat illis nubere et non uri. Id tantum illis suadeat Moderator Spiritus aut confessarius oportet, immo omnino necesse est *ne et ipsi communicent peccatis alienis* [2]. At sane fortiter et suaviter instet Moderator Spiritus nihilque non experiatur ut hanc nunquam satis lugendam animi conditionem potius omnino praeveniat quam admissam durissimis rationibus, ferro quidem et igne, corrigere adigatur. *Nullus enim* [D. Gregorii effatum est] *debet ad ministerium altaris accedere nisi cuius castitas ante susceptum ministerium approbata fuerit* [3].

3) Pariter Moderator regressum in saeculum suadeat clericis illis qui tam incostanti et irrationabili agendi norma utantur ut facilis suspicio oriri possit an sui bene compotes sint: clericis qui animi recollectioni numquam aut perraro studere possint, qui pietatis opera ferre nequeant quum nulla pateat via qua ad meliorem frugem adduci possint. Item dimittantur qui veluti per inveteratam et incorrigibilem consuetudinem pacem et concordiam perpetuo laedant; qui loquaces, vani, disciplinae impatientes quum sint veri nominis sacerdotes Christi numquam praevidentur futuri. *Consultum postremo erit sacram ordinationem differre vel etiam prorsus denegare iis qui, quod*

[1] Cfr. I Petr. 1. 19.
[2] I Timoth. V. 22.
[3] *Epistol.* Lib. I, Indict. IX, Epist. 44, *ad Petrum Subdiacon.*

*Deus avertat, neotericis erroribus imbuti essent, quos non ex animo reprobarent atque rejicerent*[1]. *Oh! procul sunto a sacro ordine novitatum amatores; superbos et contumaces animos odit Deus*[2]. Neque de his omnibus procrastinandum est donec iam ad theologiae studia devenerint, quum eo tempore perraro aut numquam consiliis huiusmodi clerici acquiescere consueverint. Obstat nimis iam praevalens superbia!

4). Denique quamquam dissuadendus sit Moderator qui de scientiae habitu sufficienti aut de doctrinae gradu iudicium ferre velit, suasque existimet partes hanc quoque provinciam moderari, tamen, quum utrumque apertissime lex requirat in iis qui ad ordines admitti valeant et possint, ubi certissima omnique exceptione maiora argumenta sint utrumque plane deficere, qui a conscientiae officiis est adolescentem moneat ne quid inconsiderate in re tam gravi moliatur. Verum [ut arbitror] si studiis regundis Praefectus suo muneri debita insistat constantia, vix umquam huiusmodi opera a Spiritus Moderatore praestanda erit.

CXVII. — Attamen docendi iterum atque iterum sumus Moderatoris negotia in hac re omnia *foro tantum conscientiae* contineri, atque nihil iam illi agendum superesse si omnia consilia et argumenta adhibuerit quibus clericus a progrediendi proposito deterreretur. Quapropter numquam [meminerit] ad forum externum [ut aiunt] operam quamlibet extendere illum iuvat, neque ut extendat a quolibet adigi potest. Ex quo, nullo sane negotio ii intelliguntur imprudenter ac inconsiderate omnino agere qui Moderatorem Spiritus suffragium cum aliis ferre velint de clerico ad ordines admittendo, aut licentiam illius in scriptis a clerico exhibendam postulent, aut si quid id genus aliud. Haec enim omnia prima et communia quibus scientiae morum regitur principia aperto damnant reiiciuntque. Spiritus enim Moderatorem [satius id nemo dixerit] nihil profecto impedit quominus forum quoque exter-

[1] *Instruct. S. R. Univ. Inquisit.* die XXVIII Aug. 1907.

[2] Pius PP. X Encyc. *Pascendi*, die VIII Sept. 1907 n. 4. Cfr. Ep. Motu proprio *Praestantia*, die XVIII nov. 1907.

num sacri Seminarii cognoscat dispiciatque ut prudenter et opportune operam suam diversis rerum adiunctis accommodet. Nihilominus si publicas partes in eo gerendo habere velit, aut etiam si se habere siverit, is equidem [nisi apertam omnino et in scriptis facultatem ei sponte et liberrime dederint hi quorum interest] imprudentissima et perniciosissima egerit et quidem ad extremam sui muneris operaeve ruinam et perniciem, tum coram Deo, tum coram hominibus omnibus, in primis autem coram alumnis quorum spirituale bonum pessumdaverit haud raro irreparabiliter. Nec ullus in re tanti momenti mitiori umquam interpretationi locus esse potest.

CXVIII. — Porro meminerint semper Spiritus Moderatores ac tamquam normam in dispicienda alumnorum vocatione illud habeant, se non quidem ad augenda supra modum Ministrorum Dei agmina destinari, sed multo magis ad arcendum lollium a tritico, idque quavis demum ratione lollium manifestetur. Sancta Ecclesia Dei non plurimos sed optimos sibi quaerit sacerdotes, atque ferendum magis est malum cui facile mederi possit [i. e. uno alterove ministro ad tempus carere] quam quod nulla sit ratione curandum, i. e. vel paucissimis indignis aut nihil profuturis administris vexari aut vastari. *Ecce mundus sacerdotibus plenus est* [non sine animi magna tristitia haec inter cetera D. Gregorius conqueritur] *sed tamen in messe Dei rarus valde invenitur operator; quia officium quidem sacerdotale suscepimus, sed opus officii non implemus* [1]. Inconsideratam sacerdotum multitudinem flagellum populorum dicebant Veteres.

Qui his paternis curis studiisque institerit, atque omnino contenderit ut *clerici Dei gloriam solam in omnibus rebus sibi proponant* [2] ac ad sacerdotales virtutes animique dotes adipiscendas summa nitantur ope *gloriam a Domino consequetur tamquam dispensator fidelis* [3], tamquam apostolus Apostolorum parens, atque [largiente Deo] apud homines quoque hanc sibi laudem eximiam assequetur. Faxit

[1] *Homil. in Evangel*, I, 17.
[2] S. Car. Borr. *Inst.*, Par. II. Cap. 4.
[3] Luc. XII, 42.

Deus, omnium bonorum auctor et consummator, ut talibus tantisque cultoribus singula sua Sacra Seminaria fruantur uberrime.

## § IV. — De admissione ad Sacros Ordines.

Summae rerum. CXIX. Dicendi ratio. — CXX. Momentum ac necessitas vocationis. — CXXI. Normae canonicae. — CXXII. Conclusio.

CXIX. — Privata Moderatoris Spiritus opera eo praecipue intendenda est ut vocatio sacerdotalis clericorum in comperto ponatur ac illis idoneis subsidiis instruatur quae sacrorum ordinem susceptionem fructuosissimam efficere possint valeantque. Quare veluti fastigium omnibus quae hucusque tradidimus de privatis Moderatoris spiritus muniis et officiis imponemus si admissionem ad sacros ordines brevi illustremus.

CXX. — Idcirco non tantum Spiritus Moderator et confessarii sed Institutores ac Magistri omnes sedula solertia adnitantur ut de cuiusque alumni indole, moribus, in pietate studiisque profectu omnino certiores fiant, non modo ut emendationi consulatur, sed etiam ut tempestive amoveri possint qui inepti ministerio sint et arrogantem aut pertinacem indolem praeseferant, quippe qui divina vocatione destitutos se esse ostendunt. Quapropter quoniam dies in quos incidimus mali sunt, neque spes meliorum affulgere potest nisi ab illis qui praeparant cogitationes suas Deo ut sint lux mundi et sal terrae, ne illud tristissimum impleatur: *Vidi gentes ingressas sanctuarium tuum de quibus praeceperas ne intrarent in Ecclesiam tuam* [1], maxima qua valent sollicitudine ac prudentia Seminariorum Moderatores omnes in id connitantur ut unusquisque quem pro impositione manum Episcopis commendaverint *perfectus sit homo Dei et bonus miles Christi Jesu* [2], *potens verbo et doctrina rationem*

[1] Thren. I. 10.

[2] II. Timoth. II. 3.

*reddere fidei, et eos qui contradicunt arguere* [1] atque ministerium suum ceu bonus dispensator implere, *ad omne opus bonum instructus* [2]. Secus Moderatorum indulgentia seu fallax prorsus ac fucata misericordia Episcopus etiam decipiet cui gravissimum illud apostolicum praeceptum: *Nemini cito manus imposueris* [3] sacrosanctum esse debet. Etenim Moderatores ne sperent se damnorum omnium ac detrimenti Ecclesiae obvenientium insontes coram iustissimo Iudice iri per quorum negligentiam Episcopus in illud severissimum praeceptum offenderit. Jure igitur SS. D. N. Pius PP. X canonicas leges atque sapientissima instituta Leonis XIII f. r. veluti compendiose recensendo nuperrime lamentabatur: *Per facilem aditum ad ss. Ordines aperta patet via ad illam gentis multiplicationem in Sanctis quae quidem laetitiam non magnificat. Ipsi novimus urbes ac dioeceses ubi non modo nulla carentia cleri est, sed sacerdotum agmen longe etiam Christifidelium necessitates ac postulata exsuperat. Proh! Venerabiles Fratres! Quid igitur urget vos ad tam crebras ac frequentes manuum impositiones? Quando nec ipsa paucitas sacerdotum umquam sufficiens ratio esse possit cur in tanti momenti negotio circumspecta maxime prudentia posthabeatur, profecto ubi clerus frequens viget et sufficiens floret nihil excusationem afferet si a prudentissimis quibuscumque cautelis adhibendis quis abstineat, adeo ut temere et inconsiderate eligantur qui sacerdotali honore augendi sint. Nec importunitas candidatorum huiusmodi facil tatis noxam atque reatum minuet; sacerdotium enim quod ad aeternam Christus instituit animorum salutem summa ex iniuria quis artibus aut muneribus profanis exacquet, ad quae quisquis volens, quacumque demum ratione id velit, accedere ex proprio natioque iure possit* [4]. *Promoveant igitur Episcopi ad sacerdotium non quidem ob candidatorum ambitionem et aviditatem sed, ut Tridentinae Synodus praescriptum fert, ob dioecesium necessitates idque ea ratione ut hi tantum eligantur qui* r e v e r a i d o n e i *fuerint, dimittantur vero quotquot contraria vocationi desideria perhibeant, maxime autem si disciplinae impatientiam atque ea*

[1] II. Timoth. III. 17.
[2] Ad Tit. I, 9.
[3] I. Timoth. v. 22.
[4] Encycl. *Pieni l'animo*, die XXIX Iul. 1906.

*omnia quae animi superbia pepererit*[1]. Etenim nec iam adepta aetas canonica, nec aviditas aut astus quo candidati aut eorum patroni sacris inhient ordinibus bona ratio esse potest cur Episcopus adnuat, qui *nec gratia alicuius, neque supplicatione, ullum ad sacros ordines audeat promovere nisi eum quem vitae et actionis qualitas ad hoc dignum esse monstraverit*[2]. Quare [*iterum iterumque commendamus*] *ad privatam quamcunque utilitatem respectum ne habetote, sed unice spectabitis Deum et Ecclesiam et sempiterna animorum commoda, ne videlicet, uti Apostolus praecavet, communicetis peccatis alienis*[3]. Ad rem autem optandum quam maxime ut Episcopi omnes jussa et consilia Synodis provincialis Colocensis [a. 1863] religiose observent quae prudenter sancteque haec prospexere: *Malumus paucos sed idoneos promovere ad sacerdotium quam manibus imponere talibus circa quos fundata subversantur dubia ne ex eorum provectione nos una cum ipsis damnari mereamur*[4].

CXXI. — Decreti autem S. C. EE. et RR. praecepta his continetur articulis:

Art. 11. — *Ut recte iudicetur de qualitatibus ac moribus Ordinandorum prae oculis habenda erunt Decreta S. Officii atque bina documenta Summi Pontificiis Pii X in appendice allata. Quod ad aetatem studiaque pertinet sequentia serventur:*

Art. 12. — *Tonsura nonnisi alumnis conferatur propedeuticae curriculo operam navantibus, et Ordines minores nisi iis tantum qui primo vel secundo anno in S. Theologiae studium incumbunt.*

Art. 13. — *Nullus, licet aetatem a Conc. Trid. statutam attigerit, ad subdiaconatum promoveatur nisi tertium annum S. Theologiae expleverit; ad diaconatum ante Pascha quarti anni; ad presbyteratum ante exitum quarti eiusdem anni.* [*Cfr. Art. 113*]. Sciant tamen Episcopi, non singulos in ea condicione constitutos debere ad hos ordines assumi, sed dignos dumtaxat et quorum probata vita senectus sit[5].

[1] Encycl. *Pieni l'animo* ad Episc. Ital. die XXIX Jul. 1906.

[2] S. Gregorius Magnus, Registr. V. 63 [58] Epist. *ad Univers. Episc. Hellad.*

[3] Pius PP. X Encycl. *E Supremi Apostolat.* die 4 Oct. 1903; I Thimoth. V. 22.

[4] Tit. IV. Cap. IV.

[5] Conc. Trid. Sess. XXIII, Cap. 12.

Art. 14. — *Mense saltem ante statutam ordinationis diem ordinandi Rectorem de sua voluntate certiorem reddant per syngrapha. Si de alumnis dioecesanis agatur Rectores petitiones Episcopo offerant qui, necessariis peractis investigationibus a parochis Moderatoribusque institutorum in quibus forte antea commorati sint, ad se advocet componentes Tridentinae Commissionis, Rectorem ac Seminarii Professores, ut ab eis sententiam petat; proinde iuxta conscientiam statuat, Rectorique elenchum Ordinandorum mittat, qui de hoc interesse habentes moneat, vetito exclusis iure recurrendi. Si vero agatur de alumnis extradioecesanis petitiones ad respectivos Episcopos mittat Rector una cum sua sententia. Episcopi, peractis necessariis inquisitionibus, prout iam dictum est, dimissoriales litteras tradant, vel suos alumnos in suam dioecesim rocent ad S. Ordinationem, prouti opportunius sibi videatur.*

Art. 15. — *Statim antequam ad ordinationem procedatur ordinandi spiritualibus exercitiis vacent decem per dies promovendi ad maiores, quinque per dies ad minores ordines.*

Art. 16. — *In reliquis praescripta SS. Canonum serventur* [1].

Haec quidem, utpote per se perspicua, nullum commentarium postulant: attamen D. Caroli Borromaei prudentissimum ad Studiorum Praefectum monitum recolimus scribentis: *Cum sacrae ordinationes habendae erunt eos qui mittendi sunt ad examen diligenter domi recognoscat: si quos autem rudes aut minus aptos repererit, aut instituat si modo possit, aut Rectori significet ut quid de illis expediat deliberari possit* [2].

CXXII. — Superest ut vota ex corde nuncupemus ut his praeceptis in re tam gravi prudentissime latis religiosissime omnes obsequantur, quo fiet ut si fortasse sacerdotum numerus passim imminuatur, hi tamen vere secundum ordinem Melchisedech constituti erunt ac tamquam Aaron vocati, tamquam Moyses legibus Domini obsequen-

[1] Par. I, Cap. 1.

[2] *Institut.*, Par. II, Cap. 5. - Cfr. Pius PP. X. Motu Proprio *Sacros. Trid. Synod.* die XVI Iul. 1905 et decret. Vic. Urb. die I Aug. 1905, ubi examinis obiecta describuntur.

tes prudenter atque fideliter populum Dei ad supernam beatitudinem ducent, ad quam tandem ipsi iam sancti ac sanctorum parentes a concivibus caelestis Urbis Hierusalem suscipientur feliciter. Quamobrem assidue exorandus est Pastor aeternus ut idoneos in messem suam mittat operarios qui mereantur portare manipulos fletus et doloris, subinde autem cum exsultatione recipere mercedem laboris.

## Articulus II.

### De publica moderatoris spiritus opera

#### PROOEMIUM.

Qui potissimam partem propositi nostri de privata Moderatoris opera in clericis instituendis agentes absolvimus, iam ad ea quae per ipsum aperto et publice sint praestanda gressum facimus, paucis ea colligentes ac tradentes quae primum de praedicatione sunt, seu de publica pia adhortatione quam ad clericorum mores confirmandos ex iuris praescripto habenda est. Oportet deinde quae Spiritus Magistri sint partes in moderandis atque advigilandis pietatis in Deum exercitiis et operibus quae in sacro Seminario peraguntur quam brevissime exponemus.

#### § 1. — De pia adhortatione ad clericorum mores confirmandos.

Summae rerum. — CXXIII. A quonam sit habenda pia adhortatio ad clericorum mores confirmandos. — CXXIV. Quomodo habenda. — CXXV. De alumnorum concionibus.

CXXIII. — Divus Carolus Borromaeus in integra suarum *Institutionum* serie semel tantum ac veluti per transennam de praedicatione ad clericos habenda verbum habet, idque ubi de Rectore agens eum his alloquitur: *Pias cohortationes nonnumquam ad clericos habeat de his rebus quae*

*ad clericos expedire censuerit* [1]. Moderatori Spiritus illud tantum officio ipse vertit ut is quotidie meditationum argumenta et puncta [in crastina die consideranda] describat proponatve [2] Recens S. C. E E. R R. decretum ad rem id tantum constituit: *Feriis V et diebus dominicis spirituali sermoni* [clerici] *adsint, quod munus committatur cuidam sacerdoti scientia pietateque idoneo* [3]. At vero [si quid nostra sententia valeat] nullus huic muneri et officio idoneus magis existimabitur quam ipse Spiritus Moderator qui, hoc pacto, perbelle et argumentose suam publicam et personalem operam cum privata contemperare poterit. Neque haec nostra sententia tamquam menti utriusque legislatoris parum consona abiicienda est: non enim illorum negotium fuit minima quaeque rimari et litteris moderari legis quae cum re sibi proposita quamlibet necessitudinem haberent, eaque praesertim quae semel definitis muneribus et officiis Moderatoris spiritus satis continerentur. Ceterum ubi Borromaei instituta et tradita religiose servantur munus piarum adhortationum fere integrum huiusmodi Moderatori demandatum est. Idque cum Divi Caroli mente optime cohaerere ambiget nemo qui reputet famulorum quoque dominicalem instructionem de christiana catechesi ab eo Moderatori tamquam officii debitum committi. Illius enim sunt verba haec: *Diebus festis a prandio famulos omnes convocet eosque in doctrina christiana erudiat* [4]. Quis autem bene prudens existimet sollicitiorem fuisse Sanctum Archiepiscopum in famulos quam in alumnos illos quos suorum laborum studiorumque coronam et gaudium futuros sibi pollicebatur? — Quod si hoc officium adhortandi clericos cum ceteris Spiritus Moderatoris muneribus absque Moderatoris plurimo onere consistere non possit, equidem *cuidam sacerdoti scientia pietateque idoneo* [5] dimittendum est. At fere numquam nisi cum magna difficultate et etiam cum non parvo institutionis spiritualis detrimento Moderator aliis suum adhortandi munus concedet. In comperto enim est hac ratione unitatem moderationis spiritualis facile pessumdari,

[1] *Institut.* Par. II. Cap. 2.
[2] Cfr. S. Carolus Borrom. *Institut.*, Par. I. Cap. 4.
[3] Par. III. Cap. I, § 2, artic. 90.
[4] *Institut* Par. II, Cap. 4.
[5] Decret. S. C. EE. et RR. Par. III, Cap. I, § 2 artic. 90.

cuius interitum graviora etiam vitia ac detrimenta [omnibus perspicua] sequi possunt.

CXXIV.– Verum quidquid de hoc negotio decernendum sit, pia adhortatio [a quocumque demum illa habeatur] statis diebus fiat atque ita ut periodica, gravis, prudens utilisque sit.

*a)* Statis certisque diebus habenda est ut, scilicet, cum disciplinae bono consentiat, atque maxime ut ipsa adhortandi consuetudo constans firmaque sit. Si enim hoc negotium arbitrio cuiuscumque concreditum fuerit facillima ac crebra erit omissionis occasio, vel saltem onerosa evadet et inopportuna nonnumquam adhortatio, quo etiam ingrata et inutilis plerumque effici consuevit. S. Carolus nihil certum in rem decernit; verum traditio quae, eo auctore, consuetudine firmata est, hanc adhortationem dominico quoque die habendam fert, atque ea quae commodior sit et opportunior hora. Decretum vero iam saepe laudatum optionem facit qua vel die dominico an quinta feria haberi possit adhortatio. Locorum temporumque adiuncta plura in rem docebunt; id tamen integrum maneat adhortationem habendam esse certis omnino diebus et horis.

*b)* Gravis sit ea scilicet gravitate quae ad propositum finem, videlicet ad sanctificationem iugiter efficiendam eiusque artis edocendam conducit. Idcirco non peregrina sectanda sunt, sed quae ad clericorum sacerdotumque praesertim munia et officia pertinent. Dicendi genus non tam concionem aut orationem redoleat sed piam magis adhortationem; itemque verborum ars eo tantum spectetur ut perspicua omnino et omnibus aperta sint quae traduntur, cuiuslibet captui et intelligentiae accommodata, atque ea demum quae animos alliciant intentosque faciant. Nec fugienda brevitas ac concisio: quantumvis enim grata, elegans et arguta sit adhortatio, prolixam fere omnes fastidiunt atque ex ea parum admodum proficiunt.

*c)* Prudens, discreta, ac utilis quam maxime sit oportet. Rei summa hic est, immo tota est: prudentiam enim si quis negligat facile destruet quum aedificandum, e contrario, foret. Quidquid igitur asperum nimis sit aut rude, quidquid profanum magis hominem quam Dei ser-

vum deceat, quidquid sanctuario dedecori sit ne nominetur quidem. Nulla fiat vel tacita provocatio ad ea quae disciplinae laesiones aut castigationes spectent, quorum prorsus ignarum Moderatorem Spiritus saltem videri oportet; eoque magis quidquid vel minimum censuram in Institutorum acta redoleat studiose caveatur. Quam maxime vero curandum est ne sermo ad nimis singularia deflectat, adeo ut quis ex alumnis facile suspicetur ad sua provocari, vel ad ea quae privatim cum Spiritus Moderatore communicaverit. In comperto enim est his omnibus in adiunctis cuiusvis fructus vacuam operam adhortantis effici, quem immo facillime deserat omnino, aut saltem male despiciat quisquis huiusmodi inopportunis sermonibus sese offensum senserit. — Neque abs re erit Moderatorem dissuadere ne ullum de reipublicae negotiis sermonem aut verbum misceat; id tantum clericis suadendum est ut maximo studio ac amore Petri Cathedram amplectantur eique firmiter adhaereant summa obedientia ac plenissimo obsequio Christi Vicarium in terris prosequuti. Cetera omnia his satis superque continentur atque ea, rationis discursu, plenissime etiam alumni assequentur. — Tandem concionator sermonem ad clericos in unum congregatos habeat *non tam concionando quam instructionis et cathechismi ritu, iis demonstrando quibus dotibus atque virtutibus instructos esse oporteat illos qui ad Sanctuarii ministeria digne accedere cupiunt: quaenam sint vera ecclesiasticae vocationis indicia, quae ratio vitae, tum ex ipso clericalis professionis debito, tum ad proximorum aedificationem, servanda ipsis erit, postquam in clerum adlecti vel ad minores aut minores ordines promoti fuerint* [1].

CXXV. — Postremo abs re non erit quaedam de alumnorum concionibus innuere quas S. Carolus non tantum ferre quam promovere etiam et consulere videtur. *Singuli* [ait] *in cœnaculo concionentur prout moniti fuerint; diebus festis ac praeterea ter saltem in hebdomada conciones a clericis in coenaculo e suggestu habeantur, om-*

[1] Benedict. XIV. *De Synod. dioec.* Lib. III, Cap. 2, n. 12.

*nesque in hoc munere se exerceant* [1]. Alibi vero S. Archiepiscopus Praefectum Studiorum monet: *Curam habeat ut clerici per ordinem in triclinio concionentur, themata tradat ad praescriptum decretorum* [2]. *Singulos* [clericos] *singillatim instruat qua ratione invenire, disponere et pronunciare debeant* [3], *ac in iis elaborent praecipue quae ad mores pertinent* [4]. — Peropportune autem addit: *Nulla habeatur concio aut oratio, etiam in triclinio nisi ab eo praevisa quae omnia, sciente Rectore, agantur* [5]. Ex quibus palam fit neminem publicam concionem in Seminario habere posse nisi de aperta Rectoris venia, quae licentia, ubi concio extra Seminarium [idque tantum praeter communia tamen rerum adiuncta] habenda sit, ab uno Episcopo [ex praescripto SS. CC. Romanarum] concedi potest. Has vero conciones si Rectoris et Praefecti studiorum loco Spiritus Moderator praeviderit ac sedulo legerit antequam habeantur nihil fortasse detrimenti erit. — Ceterum optimum erit si postquam concio habita fuerit, tum Rector, tum ceteri Moderatores suum de illa iudicium proferant tum quod ad res propositas, tum quod ad dicendi genus et rationem attinet: plurimum etenim id conferet ut clerici sacrae eloquentiae artem et genuinam indolem addiscant.

## § II. — De moderandis pietatis et religionis exercitationibus.

Summae rerum. — CXXVI. Quid in rem praescriptum sit. — CXXVII. Quid per Moderatorem praestandum sit.

CXXVI. — S. Carolus alteram summi momenti provinciam Moderatori Spiritus decernit scribens: *Spiritualibus exercitationibus praesit quas clerici statutis temporibus obibunt* [6]. At vero haec SS.mi Antistitis verba non omnes una eademque sententia interpretantur: etenim quidam illud quod dicitur *praesit* veluti loco eius quod esset *intersit* habent,

[1] *Instit.* Par. III, Cap. III.
[2] Ibid. Par. II, Cap. V.
[3] Ibid. Par. I, Cap. III.
[4] Ibid.
[5] Ibid. Par. II, Cap. V.
[6] *Instit.* Par. II, Cap. IV.

atque propterea personalem praesentiam Moderatoris in his exercitationibus requirunt. Alii vero nonnisi moralem praesentiam opinantur praescriptam, ita videlicet ut omnia huiusmodi pietatis opera Moderatoris iussu regantur et ordinentur: quod profecto obtinet ubicumque Borromaei instituta religiose, nostris quoque diebus, observantur. Idque [prout arbitramur] iure prorsus meritoque: irrationabile enim videtur tale tantumque negotiorum onus Moderatori ferendum imponere, quod equidem nec actu praestare potest, quum tam varia ea sint nec uno loco ab omnibus peragantur, sed etiam praestare non debet ne ceteris sui officii maioris etiam momenti muniis [quae profecto otium et studium sibi postulant] plerumque deesse cogatur. — Illud quoque addendum est huiusmodi perpetuam ac inopportunam cum alumnis consuetudinem non apte componi posse cum indole et ingenio muneris Moderatoris cui multo magis confert recollectionis et solitudinis studium, quo et illius auctoritas augescit et plurima caventur sui officii incommoda. Itaque Moderatoris partes potissimum eo contineantur ut hic cum Rectore, vel cum eo qui vices illius fungitur, vel ad se accersito caeremoniarum sacrarioque praefecto, cuncta quae agenda fuerint apte componat et opportune accommodet.

CXXVII. — Quapropter caveat idem ne consueto saltem more clericorum exercitationibus continuo adsit, vel ita demum adsit ut numquam inspectoris partes agat; id enim quum comperiant alumni facile ad simulationes nonnunquam gravissimas quoque et perniciosas pertrahuntur. Id quidem non omnes paedagogiae ecclesiasticae cultores tradere consuevere, quin etiam plures nec plane prospexisse videntur; at nullum exinde rerum veritati et opportunitati negotium exoritur, quam apertius etiam docebunt ea quae de exercitationibus singulis religionis mox tradituri sumus.

## § III. — De his quae religionis exercitationes comitari solent.

Summae rerum. — CXXVIII. Conditiones illarum recensentur. — CXXIX. De ratione qua sint peragenda. — CXXX. De earum frequentia quoad locum, tempus et modum. — CXXXI. Quousque producendae. — CXXXII. Quomodo advigilandae.

CXXVIII. — Ut religionis ac pietatis opera debito cum fructu exerceantur, cuius quidem uberrima sunt, oportet ea:

*a*) numero pauca esse;

*b*) modo autem et ratione ea peragendi praestantissima;

*c*) tempore vero quod in ea insumatur parcissima et brevia. Ne quid igitur nimis aut minus quam quod oporteret in his admittatur haec prae oculis habeantur:

CXXIX. — Quod ad numerum attinet hic in agendorum ratione et ordine consuetudinis more praefiniatur omnino, nec Rector sinat exercitationes praeter numerum publice peragi absque aperta sua licentia, nec eas imminui aut differri. Ad rem monet D. Carolus: *Studeat ut quae ad spiritualem progressum spectant recte atque ordine administrentur: ut quotidianae aut alias statae exercitationes, nisi fiat necessaria de causa, non intermittantur* [1]. His quoque in adiunctis certo et praefinito ordini summopere studeatur, adeo ut nec Spiritus Moderatori liceat [nisi rationabili de causa et cum consensu Rectoris] quid addere aut demere, neque ea differre quae per eum sint statis horis praestanda. Nam eo consilio ordo agendorum perperam everteretur, quin etiam nonnumquam ipsa religionis opera prorsus omitterentur. In numero vero et ordine statuendo Rector rem gerat cum Episcopo qui praesertim illud *ne quid nimis* probe meminerit.

CXXX. — Ratio autem huiusmodi exercitationes peragendi ea demum sit quae clericos alliciat;

[1] *Institut.* Par. II. Cap. II.

quapropter summopere caveatur ne ex parte loci, modi et temporis fastidio potius et oneri quam spirituali solatio sint.

1. Locus apud artis nostrae cultores non eadem sententia praefinitur: communis opinio Seminarii sacellum innuit quo omnes alumni conveniunt iisdem omnino exercitationibus operam daturi. Atque ea profecto ratione sollemnitati et dignitati rerum agendarum quam optime consultum iri concedimus libenter: arbitramur nihilominus hanc necessitatem de omnibus omnino alumnis aut exercitationibus non urgere. Equidem quod ad pias adhorationes publicas, ad SS. Missae sacrificium, ad vespertinam SS.mi benedictionem suscipiendam et alia id genus attinet nullam quaestionem esse volumus. Verum ubicumque res proponendae sint intelligentiae et conditioni singulorum, non minus quam corpori medicamenta accommodatae, ut quum meditationis puncta, spiritualis lectio etc., audienda sint, praeplacet quae in plurimis Seminariis observatur norma et consuetudo qua quodlibet contubernium in propria studiorum sede ea peragere permittitur. Id enim plurimum confert ad hoc ut alumni sibi coaptata spiritualis vitae documenta percipiant; at etiam opportune cavet communes transitus ab una ad alteram sedem quod, certis praesertim horis et temporibus, plurimum incommodi habet; demum Praefecti vigilantiam efficacem magis utilemque permittit.

2. Tempus illud assumendum est quo alumnorum animi opportunius dispositi et comparati sint ad huiusmodi religionis opera sollerter et fructuose obeunda; hinc aeris temperies et anni tempora sedulo attendenda sunt. Ita v. g. perperam alumnorum quieti et profectui prospexerit qui piae lectioni, aut Rosario B. M. V. horam addixerit illam quae prandio ac relaxationis succedit, in qua vel invitos animos somnus pertentare consuevit, aut etiam [prout aestivo tempore fit] omnino occupare.

3. Modus vero is est ut in externo corporis habitu quidquid oneris et incommodi sit sedulo caveatur; sin minus enim animus debita tranquillitate frui non poterit, atque frustra exercitationi studere conabitur. Sunt quaedam opera

quae flexis genibus praestanda sint, sunt et alia quae commode sedentes aeque aut etiam maiore cum fructu peragent. Nimium ex g. profecto et inopportunum fuerit toto meditationis tempore flexis genibus orare. Eadem lex luminis vim, vocem ac lectoris verborum sonum moderetur oportet; quae omnia animi recollectionem summopere fovebunt si nihil praeter consuetos sensuum nisus postulent.

CXXXI. — Diuturnitas quoque exercitationum ita temperanda est ut perraro horae spatium excedat. Hinc eiusmodi religionis opera quae longe gravius temporis pondus postulent nemo prudens proponat: quae si iam adulto cuique viro onerosa evaderent, multo magis ea fastidient adolescentes oportet qui, utut pientissimae et bonae indolis, tamen juvenes sunt atque nihil magis ambiunt quam aperto frui aere ac vitae turgescentis relaxare vires. Quapropter in S. C. EE. et RR. decreto sapienter statutum est: *Caveatur ne... pietatis functiones nimis protrahantur ne alumni taedio afficiantur* [1]. Haec non iis tantum aptantur quae in sacello fiunt sed et his quae in contubernio aut alias peraguntur. Sunt sane, nonnumquam, in usu rosaria tot tantisque excrescentia orationibus ut in his duplum fere operae sit impendendum; quandoque etiam iuvenes tam prolixis audiendis lectionibus insontes damnantur ut tandem taedio et fastidio conficiantur. Pia omnia profecto et veneranda at iam inopportunitate inutilia, iam onerosa effecta. Quodlibet sanissimum fuerit medicamentum quemvis suavissimus adamaveris cibus, tandem sui satietate stomachum movebit visceraque corrumpet. Nemo prudens ac sua arte bene pollens paedagogus ambiget tunc maxime se profecisse omneque tulisse punctum quum disciplinae iugum halantibus rosis suave effecerit ita ut iuvenes ad sua officia implenda non tam adigantur quam alliciantur, quam intimo quoque sensu et affectu sponte et suapte impellantur. Quod si, contra, iugum teterrimis spinis incautus saepiverit, quidquid demum egerit operam omnem oleumque perdet.

[1] Par, III, Cap. III, § 1, artic. 124.

CXXI. — Denique ac coronae instar addimus prudenter omnino et caute huiusmodi pietatis exercitationes advigilandas esse ita ut numquam inquisitoris aut exactoris habitum Moderator assumat. Quare lector ipse decernet quanta sint laude cumulandi Institutores nonnullos quando omnia, semper ac per se advigilari velint: quando [quaestorio more] sacellum longe lateque dimetiantur, objurgationes uni, alteri minas prodigaliter largientes! Esto paedagogorum scholas inter se plurimum dissentire; nemo tamen ambiget summi faciendam esse tum alumnorum libertatem, tum Institutoris dignitatem.

## Articulus III.

### De religionis ac pietatis exercitationibus singulis

#### PROOEMIUM.

Peropportune hae exercitationes in laudato S. C. EE. et RR. decreto distribuuntur prout vel quotidie, vel semel in hebdomada, aut in mense, aut in anno sunt obeundae. Hanc autem divisionem ex eo quoque amplectimur libentissime quod quam maxime perspicuitati ac recto dicendi ordini conferat.

### § 1. — De quotidianis exercitationibus.

Summae rerum. — CXXXIII. Quaenam sint. — CXXXIV. Meditatio. CXXXV. — Missae auditio. — CXXXVI. Pia lectio spiritualis. — CXXXVII. Rosarium. — CXXXVIII. Conscientiae discussio. — CXXXIX. SS. Sacramenti visitationes. — CXL. Orationes matutinae et vespertinae.

CXXXIII. — *In quoris Seminario* [in S. C. EE. et RR. decreto statutum est] *quotidie sequentia pietatis opera peragantur*:

1. *Preces matutinae.*
2. *Meditatio.*
3. *Missa.*

4. *Lectio Spiritualis.*

5. *SSmi Sacramenti visitatio.*

6. *SSmi Rosarii recitatio.*

7. *Preces vespertinae et de operibus suis cuiusque generalis inquisitio.*

8. *Mane, meridie, et vespere* Angelus Domini *vel* Regina Coeli *juxta tempora recitentur* [1].

CXXXIV. — Meditatio seu mentis oratio. - *Quotidie* [ita S. Carolus iubet] *singulo semihorae spatio mentali orationi vacent* [2]. Vana autem species est qua quidam per illud quod dicitur *singuli* unumquemque in meditationem privatam et singillatim incumbere velint quum, contra, cetera omnia quae de huiusmodi oratione Sanctus Auctor habet ac etiam quae per traditionem Borromianam servata est consuetudo, clericos in unum vel in plures convenientes huic sacrae exercitationi vacare iubeant. Moderatori Spiritus idem S. Antistes committit puncta ad rem seligere ac proponere ; ait enim. — *Quotidie vesperi... omnibus in locum constitutum convenientibus puncta proponat proxime sequenti die mane meditanda, in quo nec dimidium horae quadrantem excedat, nec minus perspicuitati studeat quam brevitati. In eorum materia deligenda illud serret ut sabbato quod dominicam antecedit in qua Sanctissimam Eucharistiam sumpturi sunt de eodem mysterio agat: sextis autem feriis de Jesu Christi passione et morte. Ceteris diebus sabbati itemque vigiliis Ecclesiae lege servandis puncta sumat ex Evangelio, quod sequenti die in Missa Ambrosianae Ecclesiae more pronunciabitur, idque per totam quadragesimam servet. Reliquis autem totius anni diebus ex concordia evangelica Cornelii Jansenii sine interruptione promat quoad usque ad eius finem perventum sit. Proponat autem in hunc modum: pronunciet primo verba Evangelii, deinde... explicet, postremo tria inde documenta eliciat quae futurae meditationis materia sint* [3]. At vero haec prudentissima consilia et documenta in plurimis dioecesibus ubi instituta borromiana vigent religiose non servantur: nam de more in illis Moderator Spi-

[1] Par. III, Cap. I, § 1, artic. 88.
[2] *Institution.* Par. III. Cap. 2.
[3] Ibid. Par. II, Cap. IV.

ritus eo tantum operam suam praestat ut quotidie hebdomadarium[1] doceat quae meditaturis praelegere debeat[2]. Ille autem puncta praefinita lente legit, moras quoque interponens in quibus ceteri omnes quae perlecta sunt recolant atque altius memoriae figant, ut dein animo suo diutius reputent. — Nec illud sapientissimum iam observatur quod a S. Auctore praescribitur de ratione meditatorum reddenda per alumnos relaxationis aut solatii tempore, adstante Moderatore Spiritus. His autem ille rem proponit: *Studeat modo uni, modo alteri recreationi vicissim interesse dum clerici matutinae meditationis rationem reddunt*[3]. Quam proinde etiam clericis revocat scribens: *Vesperi post recreationis tempus, signo campanae dato, meditationis rationem reddant*[4]. Verum huiusmodi pientissimam praxim in aliis nonnullis Seminariis salubriter vigere comperimus, atque summopere optandum est ut ad omnia omnino clericorum Instituta extendatur quum vix aestimanda utilitas ea contineatur. Quam etiam supponere ac prae oculis habere videtur S. C. EE. et RR. decretum in quo legimus: *Alumni attentas aures adhibebunt ad sacras conciones tempore spiritualium exercitiorum ac generatim ad meditationes, instructiones, spirituales sermones ut ex eis utilitatem consequantur, ac de eis referre queant quoties id petant Superiores*[5].

CXXXV.—Sacro quotidie interesse clericos tum S. Carolus Borromaeus, tum Tridentina Synodus iubent: ille quidem monet: *Missae sacrificio intersint atque vicissim inserviant*[6]; haec vero praecipit: *Curet Episcopus ut singulis diebus sacrificio Missae inserviant*[7]. — Facile quis suspicetur optimum esse si Moderator Spiritus coram alumnis missae actionem celebret: at prudentiae ratio praecipit omnino ut ipse, Rector et qui eius vice fungitur ab ea abstineant, maxime autem si hi dies sint in quibus ad S. Synaxim accedere consueverint alumni, idque praesertim si infra hebdomadam, ex iudicio confessarii, fiat. In comperto enim est

[1] Quo vocabulo ille venit qui singulis hebdomadis communes orationes coram aliis eorumque nomine recitat.

[2] Cfr. decret. S. C. EE. et RR. Par. II, Cap. II, § 4 artic. 54.

[3] *Institut.* Par. II. Cap. 4.

[4] Ibid. Par. III. Cap. 2.

[5] Par. III. Cap. I. § 4, artic. 97.

[6] *Institut.*, Par. III, Cap. 2.

[7] Sess. XXIV, Cap. 18, *De Reformatione.*

contrariam agendi rationem multam praebere occasionem gravibus et perniciosissimis dissimulationibus, quum non desint inter alumnos qui tam infirmo utantur iudicio ut ad S. Synaxim accedant eo quod hic vel ille ex Moderatoribus sacrum operetur, qui propterea abstinerent si ab alio quocumque sacerdote missa celebraretur. — S. Carolus auctor nobis est ut alumni per ordinem ad sacro inserviendum accedant, cuius rei cura caeremoniarum magistro committenda est, qui omnia ita cum contuberniorum praefectis componat, ut quilibet sanctissimum altaris ministerium rite addiscat.

CXXXVI. — Pia spiritualis lectio saltem diebus quibus scholae vacant alumnis suppeditanda est, quin etiam in Seminariis italicis, ex laudati decreti praescripto, quotidie. Agenda est ex libris quos Moderator Spiritus ipse ita praefiniverit ut clerici ex ea proficere possint et valeant. Hinc utile dulci misceat oportet ut attentos animos et aures inveniat; si vero ex historiis lectio fiat optimum. Quod servandum quoque existimamus *tempore refectionis in quo ordinaria lectio habenda est librorum qui exemplo sint ac instituant* [1].

CXXXVII. — Coronam aut Rosarium *dicant prout a confessore expedire iudicatum fuerit* [2] sic Borromaeus, cuius traditio fert ut pientissimum hoc obsequium sub vespere B. M. V. exhibeatur: sunt tamen qui Missae tempus ad hoc eligant.

CXXXVIII. — Conscientiae discussio. — *Quotidie vesperi per quartam horae partem conscientiam diligenter excutiant* [3]. Praxis vero fert ut hebdomadarius antequam vespertinas orationes incipiat singula puncta recenseat cum quibusdam opportunis moris in quibus singuli sua dispiciant.

CXXXIX. — SS.mum Sacramentum invisere uberiorem dicendi segetem suppeditat. Huiusmodi exercitationes duplicis sunt differentiae: quaedam enim communes, quaedam vero privatae sunt.

1). Communes sunt quum omnes clerici simul ad sacellum conveniunt, ut plurimum, post prandium et post coenam, qua nacta occasione commode salutationis angelicae

[1] Decret. S. C. EE. et RR. Par. III, Cap. III, § 1 artic. 123.

[2] *Instit.* Par. III, Cap, 2.

[3] Id. Ibid.

commemorationem persolvunt. Hinc D. Carolus: *A prandio et coena in Ecclesiam recte pergant, ibique orationem dominicam et angelicam salutationem secreto quinquies dicant* [1]. Optandum maxime est ut pium hunc morem omnia prorsus Seminaria addiscant.

2). Visitationes privatae et singulares sunt quas singuli clerici peragunt quando quidem illis generatim permittitur, praesertim relaxationis tempore, brevi sodales deserere atque Suavissimum Hospitem in sacello invisere, coram quo sacrorum alumni, plerumque, praestantissimum omnium et exoptatissimum animi solatium experiuntur. Huius quidem moris S. Carolus non meminit, at in plurimis Seminariis exteris id iam invaluit cum maximo quidem suavissimae pietatis profectu. Hinc ubi [conditiones quaeso Moderatores attendant] simulatio pertimescenda non sit et ubi disciplina nullum detrimentum sentiat, nihil utilius praesertim alumnis aetate et judicii maturitate provectioribus commendari potest.

CXL. — Orationes matutinas et vespertinas S. Carolus tantum per transennam recenset [2] utpote omnino obvias ac cuicumque christiano homini usitatissimas: quapropter in nullo umquam Seminario, quamquam diversa ratione peragantur, oblivioni sunt. Neque in re notissima plura tradere expedit.

## §. II. — De pietatis exercitationibus in hebdomada.

Summae rerum. — CXLI. Servitium Ecclesiae Cathedralis. — CLXII. De exercitationibus liturgicis. — CXLIII. Adhortatio spiritualis. — CLXIV. Peccatorum confessio. — CLXV. Quoties et quomodo facienda.— CLXVI. An et quomodo negotium hoc advigilandum sit. CXLVII. De confessione Institutorum ac famulorum.—CXLVIII. De S. Eucharistiae sumptione. — CXLIX. Quomodo ad hanc accedendum. — CL. De huius rei per disciplinam vigilantiam.

CXLI. — Ministerium Cathedrali Ecclesiae praestandum, officium est canonica etiam sanctione Concilii Tri-

[1] *Instit.* Par. III, Cap. 2. [2] Ibid.

dentini confirmatum iubentis ut clerici *cathedrali et aliis lociis ecclesiae diebus festis inserviant* [1], quod ipsum nostri decreti littera hisce praescribit: *diebus dominicis aliisque solemnibus contubernia turnatim operam praebeant in Cathedralibus... Omnes alumni Cathedralem petant cum Episcopus ibi functionibus intersit* [2]. Quibus autem huiusmodi ministerium absolvatur complurimis S. C. Concilii decisionibus praefinitum est ita ut, omnibus iam sublatis abusibus, clerici nonnisi sacerdotibus sacram actionem agentibus iuxta altare deservire teneantur: hinc choro adesse, thus ministrare, ceteraque id genus tum quae ad cantum, quum quae ad sacras caeremonias pertinent praestare. Prudenti autem consilio cautum est ut clerici in his omnibus suis tantum Moderatoribus parere teneantur, quorum igitur etiam est quos expedire iudicaverint seligere et mittere. — *Dum* vero *in Ecclesiam procedunt et loci sanctitatem et conveniendi causam attente cogitent, debitamque pietatem, modestiam ac silentium servent* [3]. Ad rem autem S. Archiepiscopus consulit ut Rector... *nonnumquam in Ecclesiam metropolitanam cum in ea clerici fuerint se recipiat, ut illi diligentius quae ad cultum divinum spectant exequantur* [4]. *Cum* autem *in Ecclesia majori aut in alia quavis extra Seminarium erunt, non modo ab Ecclesia, sed ne a choro quidem sine Vicarii Generali cum adest, vel, eo absente, sine eius facultate quem Rector constituerit etiam a quocumque vocati discedant, iis exceptis quibus pro caeremoniarum ratione canonici ordinarii tunc in divinis officiis ministrantes a choro in sacristiam et ab eadem in choro deducendi erunt. Qui sine huiusmodi licentia a sua statione discesserit graviter a Rectore punietur* [5]. Huiusmodi autem ministerium festis tantummodo diebus praestandum est iuxta Const. Innocentii XI [6] ac Benedicti XIII [7]. Insuper S. Carolus cavet: *Ad processiones autem aliave munera in aliis Ecclesiis obeunda* [clerici] *non conveniant aut mittantur sine*

[1] Sess. XXIV, Cap. 18 *de Reformat.*
[2] Par. III, Cap. 1, § 2, artic. 89.
[3] S. Carolus Borrom. *Instit.* Par. I, Cap. I.
[4] Id. Ibid. Par. III, Cap. VI.
[5] Id. Ibid. Par. II. Cap. 2.
[6] Constit. *Apostolico muneri.*
[7] Constit. *In Supremo.*

*Rmi Archiepiscopi facultate* [1]. Verum novum in iure ac sapientissimum est quod in decreto laudato additur: *Rector consulat ut alumni qui in Seminario remanent juxta opportunitatem aliud pietatis opus expleant* [2]. De opere hoc nonnullis in Seminariis invaluit ut recitatione unius ex minoribus horis ac missarum solemnitate contineretur. Ceterum in comperto est absentiam integri contubernii obstare quominus eodem tempore adhortatio ad mores confirmandos habeatur.

CXLII. — Ut autem clerici huic suo officio digne satisfacere nunc possint, atque ut olim convenienter opus Dei operari valeant necesse est ut in sacra liturgia exerceantur, atque ea omnia addiscant quae ad sacras caeremonias ac cantum pertinent, quibus tantum decoris ac splendoris ecclesiasticis ministeriis additur atque populo Dei tanta spiritualis aedificatio comparatur. Quod optime perspectum habuit legislator dum praescripsit: *Praeter studium litterarum scientiarumque alumni gregorianum cantum iuxta praescripta Summi Pontificis Pii X discant, quare eiusmodi scholae diebus statuendis, si ugula hebdomada intersunto. — Curetur ut quodvis Seminarium cantus gregoriani praecipua habita ratione*, Scholam cantorum *habeat, in qua musices doceatur iuxta praescriptiones Motu Proprio Pii X regnantis Pontificiis [22 nov. 1903] contentas, operibus polyphonis antehabitis, quae in aestimationem atque amorem retinent cantum gregorianum. — Diebus horisque statutis in sacris caeremoniis sese exerceant, ut cum diligentia, gravitate et pietate sacris inserviant functionibus tum in Sacello Ecclesiae Seminarii, tum in Cathedrali* [3]. Quae omnia cum borromianis placitis omnino concordare videntur in quibus haec sunt: *Rituum et caeremoniarum ecclesiasticarum usum omnes exacte teneant easque decore quantum fieri poterit praestare studeant. Propterea bis terve in singulos menses, prout Rectori videbitur, idque praecipue diebus relaxationis in caeremoniis erudiantur. Ac primum singulis diebus festis deligantur nonnulli qui in divinis officiis eas obeant.*

[1] *Institut.* Par. I, Cap. I.
[2] Par. III, Cap. I, § 2, art. 89.
[3] Par. III, Cap. § 2, artic. 106, 107, 108.

*Constituantur autem ex clericis quatuor aut sex qui in Ecclesia Majori sub Magistro caeremoniarum praecipuam curam habeant, ut per eos alii, tum melius eodem in loco dirigantur, tum in caeremoniarum usu in Ecclesia Seminarii instituantur* [1]. *Lectionem cantus qui firmus dicitur omnes quotidie adeant* [2].

CXLIII. — Adhortationem spiritualem decreti praescriptum iubet: *Feriis V et diebus dominicis spirituali sermoni aderunt* [3]. At de ea sufficiant quae haud ita pridem tradidimus.

CXLIV. — Peccatorum confessio. — Haec ad rem S. Carolus de clericis habet: *Confiteantur omnes... peccata sua saltem prima quaque et tertia cujusque mensis dominica die: diebus praeterea festis Christi Domini, B. Virginis Matris, Sanctorum Joannis Baptistae et Apostolorum et Sancti Ambrosii, omnibusque dominicis adventus et quadragesimae. Qui vero sacris ordinibus initiati sunt semper singulis octo diebus: qui alicui sodalitio B. Virginis sunt adscripti eius leges et instituta ea de re servent* [4]. De Moderatore autem spiritus similia tradit: *Singulis hebdomadibus feria sexta et sabbato clericorum confessiones audiat eo ordine ut omnibus decimoquinto die poenitentiae Sacramentum ministret, iisque praeterea temporibus quibus clerici ex Constitutionum suarum praescripto... peccata confiteri et Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum suscipere tenentur* [5]. Quae quum ita sint, nemini dubium esse potest S. Carolum clericis qui in sacris sint constituti hebdomadalem confessionem praecepisse, ceteris vero eam quae decimoquinto quoque die habenda esset: hinc arctiorem legem tulisse quam quae a Synodo Tridentina sancita fuit: *Curet Episcopus ut saltem singulis mensibus confiteantur peccata* [6]. Verum quando uterque verbulum *saltem* addiderunt aperte fassi sunt se quam maxime exoptare ut frequentius clerici ad tam salubre sacramentum accederent, quod votum [optimo consilio] interpretata est S. C. EE. et RR. decernens: *Singula*

[1] *Institut.* Par. I. Cap. I.
[2] Ibid. Cap. 4.
[3] Pars. III, Cap. I, §§ 2, artic. 90.
[4] *Institut.* Par. III, Cap. 2.
[5] Ibid. Par. II, Cap. 4.
[6] Sess. XXIV, *De Reformat.*

*hebdomada sua admissa peccata confiteantur* [1]. Cui etiam praeiverat optimorum Seminariorum laudabilis consuetudo ubi quotquot sunt sacrorum alumni suae conscientiae studiosissimi, quoties sibi expedire iudicaverint ad poenitentiae tribunal accedunt quin statutos dies exspectent. Ceterum idipsum satis S. Carolus suadere videtur quum Moderatorem Spiritus his alloquitur: *Moneat omnes ne umquam sibi ipsi mortalis culpae conscii somnum capere audeant, sed contractam peccati maculam statim sacramentali confessione eluant* [2]. — Insuper S. Archiepiscop. Moderatorem Spiritus admonet: *cum primum quis Seminarium fuerit ingressus curet ut totius vitae peccata generali confessione expiet* [3]. Idque iure meritoque: nam qui mox Instituti septa primum ingressus fuerit iam veluti novam agere vitam incipit, quam nullo feliciore auspicio donabit nisi summam plenamque pacem cum Domino instauraverit, ita ut iam *ab inimicorum... manibus liberatus serviat illi in sanctitate et iustitia coram ipso omnibus diebus suis* [4]. — Mirabilis autem elucet S. Archiepiscopi cura in minima quaeque sollerter impensa quum de ratione qua quisque ad sua peccata confitenda accedat disserit. Cuius gratia Spiritus Moderatori et confessario haec consulit: *Tempus constituat quo uniuscuiusque dormitorii clerici confiteri debeant ne ulla ordinis perturbatio suboriatur: eos vero per Praefectos moneat ut prius se praeparent quam ad confessiones eant. Porro Praefectus non omnes simul sed quinos tantum vel senos ad eum mittat* [5]... Id autem peropportune consultum est: secus enim alumni tempus utilius studiis impendendum frustra tererent, atque difficilius esset iamiam confessuris advigilare.

CXLV. — Quantum autem et quale tempus in confessione huiusmodi impendendum sit communi quidem norma praefiniri nequit; id enim tum a numerositate alumnorum pendet, tum a confessariorum numero, tum etiam ab aliis quibus tum hi, tum illi detineri pos-

[1] Par. III. Cap. 1. § 2 artic. 91.
[2] *Institut.*, Par. II. Cap. 4.
[3] Ibid.
[4] Luc. I, 75.
[5] *Institut.* Par. II. Cap. IV.

sint negotiis. Videant igitur Moderatores quid in singulis rerum adiunctis consulendum est; illud unum vero studeant quorum interest ut *omnia honeste et secundum ordinem fiant* [1].

CXLVI. — At gravissima subest quaestio [iamdudum in diversas exagitata sententias] num expediat et qua meliore ratione id fieri possit ut Moderatores certiores efficiantur an alumni praecepto confitendi peccata sua pareant. S. Carolus rigidam et apertam suam mentem hisce pandit: *Confessarius tabellam eo tempore apud se habeat in qua clericorum omnium nomina descripta sint, ut singillatim confessiones signet et non confitentes ab aliis dignoscat* [2]. Viderint peritiores quid in re tanti negotii decernendum sit: nostrum est tantum animadvertere disciplinae quidem ius et partes esse ut dignoscat quinam coram confessario venerint quique adesse renuerint, non autem ut cognoscat quid illi cum confessario egerint, an peccata sua sint confessi, an potius v. g. benedictionem petierint aut alia quaevis negotia pertractaverint. Quamobrem confessarius profecto disciplinae magistro morem gerat quod ad primum; quod vero ad alterum attinet alumno praesto sit illumque misericorditer iuvet qui suo officiio disciplinari reapse satisfecerit coram illo veniens. — Ceterum huiusmodi disciplinae in rem vigilantia plurimis obnoxia est incommodis quum alumnorum libertati nonnisi cum negotio plurimo per eam consuli possit, quorum quidem iura in foro conscientiae sancta sint oportet. Idque eo magis quod nonnumquam spiritualis etiam salutis caussa postulare iure optimo potest ut confessarium quis commutet quin ullus homo id cognoscere debeat aut utcumque iudicare audeat. — His omnibus rationum momentis, gravissimis illis et haud levi spernendis, suademur ut indirecta tantum vigilantiae media consulamus quibus utens contuberni Praefectus aut quicumque alius mox confessuris adsit nullo negotio dignoscere poterit quae necessaria sint. — Profecto qui clericus iterum atque iterum

[1] I Corinth. XIV. 40.

[2] *Institution.* Par. II. Cap. IV.

huic suo officio desit legitimam suspicionem praebet deficientis vocationis: hic autem non quidem obiurgationibus utut iustis exagitandus est, sed illum quam cautissime, opportunam nactus occasionem, Rector dimittere curet. — Plane in toto hoc negotio gerendo caveat sollicite Moderator ne turpium sacrilegiorum umquam occasio disciplina fiat, ac meminerit omnia disciplinae media et argumenta tantum ut adiumenta ad maius spirituale bonum et incrementum adipiscendum comparari: quapropter omni utilitate vacua ea evaderent si huic altissimo fini obessent magis quam prodessent.

CXLVII. — S. Archiepiscopus postquam sapientissime egerat de alumnorum confessionibus, bono Institutorum etiam et famulorum prospicit, atque primum rem hisce Spiritus Moderatori proponit: *Omnium praeterea qui in Seminario vivunt ecclesiasticorum confessiones audiat tempore conciliis definito, et famulorum semel saltem singulis mensibus* [1]. Itaque:

*A*). Quod ad Moderatores ex relatis verbis iam S. Archiepiscopus praecipere videtur ut hi omnes Magistro Spiritus conscientiam suam pandant. Idque ut consilium interpretari quidem optimum est, tamquam praeceptum vero urgere ineptum. Nulla etenim necessaria ratio subest qua conscientiae Moderatorum libertas adimi possit, cuius quidem iuribus saltem eadem prorsus quae alumnis debetur reverentia.

*B*). De famulis quoque idipsum statuendum est; tenuis enim ac humilis eorum condicio nullam in conscientiae iura differentiam inducere potest. S. Carolus haec ad rem illis praecipit: *Die sabbati aut sexta feria prout a confessario praescribetur, quae primam cuiusque mensis dominicam diem antecedit, in vigiliis item solemnium dierum, eidem confessario peccata sua confiteantur a quo etiam praestitae confessionis chirographum Ministro exhibendum accipiant* [2]. At si disciplinae ratio de famulis quoque requirere potest ut semel in mense peccata confiteantur sua, attamen qua ratione id ab illis praestetur conscientiae arbitrio integrum sit. Quod si huic praecepto non acquiescant,

[1] *Institut.* Par. II. Cap. 4. [2] Ibid. Par. II. Cap. X.

satius profecto erit illos summa cum prudentia et humanitate tandem dimittere quam sacrilegii occasionem umquam cuique praebere. Auctoritatem sane S. Caroli in hac re dimittendam esse aperto fatemur; idque non plane ex arbitrio sed ex contraria auctoritate recentiorum S. Sedis decretorum, eorum qui communem ducunt vitam libertati ac conscientiae iuribus amplissime et opportune faventibus. — Quod demum ad *chirographum praestitae confessionis Ministro exhibendum*[1] attinet id in moribus complurium Seminariorum est; at confessarius illud cuique tradat qui coram se venerit quidquid demum de confessione fuerit; id enim tantum *exterioris* disciplinae interesse potest. Turpe autem foret si operarum stipendia traderentur tantum huiusmodi chirographum exhibentibus!

CXLVIII. — De Sacra Eucharistia sumenda Tridentina Synodus peropportune de clericis statuit: *Curet Episcopus ut... juxta confessarii judicium* [clerici] *sumant Corpus Domini Nostri Jesu Cristi*[2], atque idipsum decreti S. C. EE. et RR. praescripto continetur: *Saepe iuxta confessarii consilium ad S. Synaxim* [clerici] *accedant*[3]. At S. Carolus aperto et taxative praecipit: *Prima quaque cuiuslibet mensis dominica die et solemnibus item totius anni diebus festis Sacram Eucharistiam sumant; in adventu vero et quadragesima singulis saltem quindecim diebus*: *quod idem diaconi et subdiaconi semper praestent*[4]. Verum si etiam de clericis ea prescribenda essent quae de illis omnibus qui vitam agunt communem nuperrime a S. Sede statuta sunt, longe alia praxis suaderetur ac iuberetur omnino. Primum enim [pro communem vitam ducentibus] a S. C. EE. et RR. statutum est: *Quod vero attinet ad permissionem vel prohibitionem ad Sacram Synaxim accedendi eadem Sanctitas Sua decernit huiusmodi permissiones vel prohibitiones decreta ad confessarium ordinarium vel extraordinarium spectare quin Superiores ullam habeant auctoritatem hac in re sese ingerere, excepto*

[1] S. Carol. Borrom. *Institut.* Par. II, Cap. X.

[2] Sessio. XXIV. *De Reformat.*

[3] Par. III. Cap. I. § 2, artic. 91.

[4] *Institut.*, Par. III, Cap. 2.

*casu quo aliquis ex eorum subditis post ultimam sacramentalem confessionem communitati scandalo fuerit, aut gravem culpam externam patraverit, donec ad poenitentiae sacramentum denuo accesserit*[1]. Tandem S. C. Concilii decreto illud iuris traditur: *Si quae sunt Instituta quorum in regulis aut constitutionibus vel etiam calendariis communiones aliquibus diebus affixae et in iis insuper reperiantur, hae normae tamquam merae directivae, non tamquam praeceptivae putandae sunt*[2]. Quibus omnibus sedulo perpensis suademur praeter iura disciplinae esse quid in re tam gravi tamquam praeceptum urgere, sed per eam consilium tantum clericis praestari posse. Unus enim confessarius negotium hoc cum quolibet alumno agere ac pertractare rite poterit, atque in hac re illi tantum sacrorum alumnum obtemperare oportet. Quapropter si quis licentiam crebro accedendi obtinuerit idque maiore aut minore frequentia, nemini umquam iudicium ullum proferre licet nisi, ad summum, ubi scandalum futurum timeatur. — Si quis autem quaerat num Rectori integrum sit Spiritus Moderatorem haud rectam alumni agendi rationem eo consilio docere ut cautius facultatem accedendi concedat, is profecto rem induxerit alea periculosissima plenam. Porro si Moderator Spiritus etiam post adeptam rei notitiam in suo consilio perstiterit, Rector ceteriquo Moderatores acquiescant oportet.— Haec omnia tamquam communis norma habeantur: etenim si clericus crebro et diu a Sacra Synaxi abstineret, id quidem tepidi animi indicium praeberet qui nullum supernarum rerum gustum persentiat, ac propterea tamquam ad sacra non vocatus, consuetis cum cautelis, prudenter dimittendus esset; numquam tamen contra animi sensum ad frequentiores accessus adigendus. — Ceterum nemo satius umquam commendaverit ut... *communio frequens et quotidiana quam maxime promovcatur in clericorum Seminariis quorum alumni altari inhiant servitio*[3]. *Perspicuum enim est ex fre-*

[1] Decret. *Quemadmodum*, die XVII decemb. 1890.
[2] Decret. die XX dic. 1905, n. 7.
[3] Ibid. n. 6.

*quenti seu quotidiana S. Eucharistiae sumptione unionem cum Christo augeri, spiritualem vitam uberius ali, animam virtutibus effusione instrui, et aeternae felicitatis pignus vel firmius sumenti donari* [1].

CXLIX. — Quod vero exteriorem accedendi habitum spectat S. Carolus praecipit: *Quotiescumque autem sumunt sive in Ecclesia Metropolitana, sive in ecclesia seminarii aut alia quapiam superpelliceum induant. Post sacram vero communionem in Ecclesia persistentes, in aliqua pia eiusdem mysterii meditatione quadrantis horae versentur, nec inde prius discedant quam per aedituum signum campanae datum audierint* [2].

CL. — Tandem grave negotium heic quoque facessit vigilantia quae per disciplina sit exercenda ut probe noscatur alumnorum accedentium frequentia. At enim sententiam quam de confessione agentes tulimus heic etiam tuemur: nullum, videlicet, licitum esse *directum* dominium disciplinae in ea quae conscientiam respiciunt; ideoque dissuadendum esse Rectorem ne ea adhibeat vigilantiae argumenta quae S. Carolus in rem a contubernio Praefectis praestari praecipit statuens: *Singulis diebus festis indicem conficiant in quo nomina clericorum sui dormitorii qui eo die Sanctissimam Eucharistiam sumpserint primo describant eumque Rectori exhibeant* [3]. Quin etiam Rectori et Vice Rectori auctores sumus ne assuescant communicantibus continuo adesse, ut quaevis inquisitionis suspicio vel sacrilegiorum periculum prorsus amoveatur: satis est si consuetae Praefecti contubernii sollicitudini alumni [quodammodo] subiiciantur. — Ut autem diligentius sacrilegia devitentur [in quo negotio nulla industria nimia dici poterit] etiam conferet si confessarii cuique ex optimis etiam alumnis suadeant ut a S. Synaxi interdum abstineant; qua ratione fortasse fiet ut unus vel alter e sodalibus, infirmiore utens iudicio, maiore libertate accedendi vel abstinendi se donatum sentiat, adeo ut suae conscientiae op-

[1] Decret. S. C. C., die 1905, n. 7.
[2] *Institut.* Par. III, Cap. VIII.
[3] Ibid. Par. III, Cap. 8.

portunius consulere possit. — Ceterum falleretur vehementer qui tamquam absolutam ac plenissimam normam vocationis dignoscendae alumni frequentiam ad S. Synaxim prorsus spectaret. Profecto ex ordinario contingentibus atque ex recto rationis ordine ita rem se habere oporteret; at quot et quanta sint quae extra ordinem contingant aut non recta ratione fiant nemo prudens sibi probe perspectum esse dixerit!

## § 3. — De religionis exercitationibus per mensem.

Summae rerum. — CLI. Quae sint. — CLII. De sexta feria in honorem SSmi Cordis Jesu. — CLIII. De recollectione menstrua.

CLI. — Binae hae tantum in S. C. EE. et RR. decreto enumerantur: prima est quae sexta primum in mense occurrente feria fit in honorem Divinissimi Cordis Jesu; altera recollectione menstrua continetur.

CLII. — *Prima cuiuslibet mensis feria sexta*, [ex S. C. EE. et RR. praescripto] *pium exercitium celebretur in honorem SS. Cordis Jesu, ea ratione quae opportunior visa fuerit, attento quidem missae votivae privilegio a Summo Pontifice Leo XIII s. m. concesso* [1]. Quamquam agendi ratio in hac re non una in moribus sit, quae communi suffragio comprobatur his fere continetur: summo mane meditatio fit de ss. Corde Jesu: excipit Sacrum *coram Sanctissimo*, accedentibus omnibus ad S. Synaxim; vespere autem benedictionem cum Ssmo ritu solemni impertitur, praevio usitato actu consecrationis. — Quod autem in decreto laudato missae votivae privilegium recolitur hoc est: *In iis ecclesiis et oratoriis ubi feria sexta quae prima unoquoque mense occurrit, peculiares pietatis exercitationes in honorem divini Cordis approbante loci Ordinario, mane peragentur, indulgemus ut huius-*

[1] Par. III. Cap. I, § 3, artic. 92.

*modi piis exercitationibus addi valeat missa votiva Sacri Cordis Jesu, dummodo in illum diem non incidat festum aliquod Domini aut duplex primae classis, vel feria, vel vigilia octavae ex privilegiatis; de cetero serventur rubricae* [1]. — Opportunam nacti occasionem Moderatores monemus suadendos esse clericos ut pientissimam in Divinum Jesu Cor religionem prae omnibus alant excolantque, quippe quae sacratissimos thesauros reserans, clericorum animum suavissimo ac mitissimo [prout Apostolos decet] spiritu imbuat, atque vere sanctos illos sacerdotes efficiat quorum Christus desiderio flagravit, quum se ad ignem excitandum missum nihilque magis velle se quam ut dilataretur obtestatus est.

CLIII. — Recollectio menstrua quam dicunt in S. Caroli scriptis non occurrit; verum borromianis traditis aperto effertur, atque quum optimos fructus parere consueverit, optandum sane est ut nullo in Seminario umquam deficiat. Ad rem vero decretum nostrum habet: *Recessum a bona morte nuncupatum peragant alumni iis sermonibus ac operibus quae induxerit consuetudo, ea ratione ut quis diligentius se percontetur, et consilia capiat quibus melius defectus corrigere ac in virtutum progredi valeant* [2]. Huius exercitationis praxis duplex in usu est. Quaedam enim Seminaria integrum diem in eam impendunt ac ita quidem ut pervigili vespere inchoetur atque usque ad summum mane tertiae diei protrahatur; alia autem Instituta reapse dimidiam tantum diei partem huic exercitationi dicant. Propterea dum prior praxis binas meditationes consentit, altera unam tantum fert quae videlicet reformationem audit; ceterum hac praesertim huius exercitationis utilitas contineri videtur, hinc de ea tantum decreti praescriptum agit. Quaelibet autem praeplaceat praxis, curandum est ut silentium continuo servetur et per notam orationem ad bonam mortem obtinendam fructuosissimum hoc opus absolvatur.

[1] Leo XIII Brev. *Benigno divinae Provid. consilio*, die XXVIII Jul. 1889.

[2] Par. III. Cap. I. § 3, artic. 93.

## § 4. — Religionis exercitationes annuae.

Sommae rerum. — CLIV. Novendiales aut triduanae supplicationes. — CLV. Menis Marialis. — CLVI. Menis Iunius in honorem SSmi Cordis Jesu. — CLVII. Exercitiorum spiritualium recessus. — CLVIII. Qua ratione peragendus. — CLIX. De exercitiis ad ordinationem praemittendis.

Hae exercitationes peropportune in laudato decreto tres tantum enumerantur ut sequitur:

CLIV. — Novendiales aut triduanae supplicationes de quibus praecipitur: *Religiose novendiales supplicationes, tridua etc. celebrentur quae maioribus D. N. I. C. et Mariae V. solemnitatibus praemitti solent*[1]. His suademur has tantum novendiales supplicationes ab omnibus clericis in communi peragendas esse de quibus aperto lex loquitur. Nihilominus non quidem contra legislatoris mentem is agat si unam alteramve addiderit eadem ratione a clericis praemittendam his solemniis quibus eorum pietas magis magisque foveatur: sint ea dumtaxat quam paucissima. *Item* [ibidem legitur] *peculiari pietate praefatae salemnitates celebrentur, necnon aliae quas Ecclesia christiano populo urget*[2]. Profecto Spiritus Moderatoris erit suadere ut aliis quoque clerici piam navent in privato operam, quin etiam iuverit publice innuere quandocumque illae inchoari possint.

CLV. — Mensis B. M. V. dicatus. *Filiali pietate pium opus expleant mensis in honorem B. M. V.*[3] Etenim si huic peragendo debita religione alumni insistant, bonus sacri Seminarii spiritus veluti novo robore efflorescit, quam plurimi quotidiani defectus e medio tolluntur, innumerarum virtutum actibus alumnorum coronae augescunt. Usitata praxis quae a Muzzarellio nomen et auctoritatem ducit, utilitatem vero suam integram ab exercitiis Ignatianis acceptam refert

[1] Decret. S. C. EE. et RR. Par. III, Cap. I, § 4. artic. 94.

[2] Ibid.

[3] Ibid. art. 95.

ceteras omnes longe antecellere videtur, idque non tantum laicos sed sacrorum quoque alumnos quod attinet, quorum profecto iuvenilis aetas perspicuitate, ordine ac doctrinae soliditate uberrimos progressus ferre consuevit.

CLVI. — Quamquam vero nihil in decreto invenimus de pia praxi qua mense iunio peculiari religione SS.mum Jesu Cor passim colitur, haud abs re erit illam enixe clericis commendare, ita quidem peragendam uti nonnisi minimum auferat temporis litterarum studiis ea praesertim tempestate impendendi. Et enim religionem ac pietatem in SS. Iesu Cor atque in B. M. V. quam maxime in clericorum animis virescere iuvat, quin etiam portus illud tutissimum peregrinantis animae, stella haec amicissima sacerdotalis vitae, numquam ex oculis ac desiderio decidant oportet. Neque secus de pia praxi qua mense martio peculiari ratione S. Josephus B. V. Sponsus colitur.

CLVII. — Exercitia denique spiritualia quae dicuntur uberiorem dicendi segetem praebent. De his in primis D. Carolus praecipit: *Transacto vacationum tempore, reversi in Seminarium, exercitationes spirituales unius saltem hebdomadae spatio illi ineant clerici quibus a Rectore jussum fuerit. Idem ab iis praestetur qui singulis annis in Seminarium recipientur eodem modo quo ex constitutione nostra consueverunt qui ad majores ordines sunt promovendi*[1]. Quibus perspicuum est quotannis clericos in haec exercitia incumbere illum voluisse, idque ineunte scholari anno, ac per integram hebdomadam: quae singula pluribus proponenda et enucleanda sunt.

*a*) Nullo quidem anno in Seminario omittantur spiritualia exercitia prout S. C. EE. et RR. decreto praescribitur: *Singulis annis semel spirituales peragantur exercitationes saltem per quinque dies continuos vel etiam bis per tres dies iuxta locorum consuetudines*[2]. Utilitas quidem harum exercitationum tanta est ut SS. D. N. Pius X sacerdotibus quoque cleri saecularis Romae commorantibus eam experiri saltem singulis trienniis per hebdomadam praece-

[1] *Instit.* Par. I. Cap. 2. [2] Par. III. Cap. I, § 4, artic. 96.

perit [1]; ceterum res in aperto est atque omnium consensu comprobatur. Hinc illud unum superest ut votum nostrum pandamus iam nullum in posterum Seminarium fore ubi tam salubris praxis, nullo quidem alio argumento aut medio spirituali supplenda, religiose non servetur.

*b*) Qua tempestate his exercitiis vacandum sit ex D. Caroli sententia iam audivimus, videlicet *post transactum rusticationis tempus* [2] seu ineunte anno scholari. At vero quamquam huius rei sufficiens ratio commode reddi potest pluribus tamen suademur rationum momentis ut borromianum praeceptum quadantenus temperemus. Quippe ineunte scholari anno quidam alumni fortasse a Seminario absunt; qui vero adsunt eorum animum adhuc occupat transactae rusticationis memoria, aut etiam novi curriculi incipiendi sollicitudo. Hinc opportunius consilium videtur huiusmodi exercitia paulo saltem differre, prout etiam fert consuetudo plurimarum earum diocesum quae Borromianis reguntur institutis, ubi nihilominus exercitia non fiunt nisi appetente iam Natali Domini Nostri die. Equidem haud diffitemur alumnos qui e rusticatione [fortasse externa] redeant diu manendum non esse spiritualis refectionis tempus quo defectus admissi reparentur et evellantur novoque robore vires animi ad virtutem donentur. Verum huic necessitati iam satis fiet si alumni per unam alteramve diem animi recollectioni studuerint quibus apte inchoetur praeparatio illa remota qua exercitationum ipsarum fructus uberiores promoveri solent. Tandem, quando clericorum animi quiete plurima fruuntur, nemo a Seminario abest, studiorum prima negotia iam superata tranquillam denique fiduciam contulere, opportune quidem supernae gratiae copiosissimae imbres agellum imbuent, uberrimamque segetis spem conferent, quibus etiam commode ii fruantur qui ad ordines sacros, tunc temporis, animum comparare consueverint. — Verum optimum hoc consilium non omnes ineunt; sunt enim quaedam Seminaria quae Borromianum placitum adamussim sequantur: sunt alia ubi exercitia ad postremos anni

[1] Epist. *Experiendo*, ad Em. Almae Urbis Vicar. die XXVII dec. 1904.
[2] *Institut.* Par. I, Cap. I.

scholaris dies amandantur vel saltem ad Paschalia sollemnia; sunt autem quamplurima ubi per triduum his exercitationibus bis vacatur i. e. tum ineunte anno, tum paucis ante Pascha diebus. Has omnes consuetudines decretum de quo agimus [ut eius ex verbis patet] Ordinariorum arbitrio liberrime permittit; et quidem sua utilitate quaevis huiusmodi praxis non caret: at quae omnibus praestet [si quid sentimus] numeris iam tradidimus, cui si ceterae conferantur etiam cedant oportet. Profecto qui totum hoc negotium sub quadragesimae exitu amandet, i. e. fere iam medio scholari anno, sane utilitatem his exercitationibus propriam, quae in novis sumendis ad annum peragendum viribus atque in animo rusticationis tempore fere dissipato denuo reficiendo consistit, intempestive plane spectet ac exiguam colligat necesse est. — Is vero qui exitum anni exspectet, praeter exposita incommoda illud quoque persentiet quod ex alumnorum nimia sollicitudine et anxietate de litterariis periculis, atque ex consueta festinatione quam omnes alumni et Institutores sub exitu experiuntur [quippe in his etiam cursus in fine velocior] exaggerari solet. Quam vero utilitatem pariat studium roborandi alumnos contra rusticationis vitia et defectus, commode quis tulerit si recollectionem menstruam maiore qua poterit diligentia peregerit. Denique opinione quidem at non re exercitiorum utilitatem ferat qui bis per dissita tridua illis vacaverit: siquidem alumni, et in his provectiores praesertim, vix unquam huiusmodi triduo quid proficient.

CLVIII. — Ratio exercitiorum peragendorum tum concionibus, quum disciplinae ordini prospicere debet.

*a*) Conciones quod spectat omni exceptione maiorem putamus ordinem a S. Ignatio praefinitum, qui obvio veluti progressu ac perspicuo rationum discursu, cuiusvis hominis animum invincibili prorsus et admirabili nisu ad bonam primum frugem reducit, atque deinde imitanda Servatoris exempla suadet, donec tandem ferventissima amoris vi ad heroica quaeque pertrahat impellatque. — Ceterum non quidem theologicis disquisitionibus animus obruatur aut fatuo eloquentiae genere demulceatur oportet; sed

perspicua utendum est dicendi ratione quae mentem non fatiget, illustret vero ac dimoveat, non *in persuasibilibus humanae sapientiae verbis, sed in ostensione spiritus et virtutis* [1]. In virtute quidem spiritus qua gratiae divinae aditus pandatur; in ostensione autem et veritate fidei qua omnes terrenae ac fluxae sollicitudines oblivioni tradantur, sola autem quae aeterna sunt animum occupent. Idque si cum omnibus praestandum sit, maxime profecto coram sacrorum alumnis curandum est qui, utut aetate maiores sint aut iam sanis imbuti doctrinis, adolescentes esse non desinunt, ac propterea illusionibus animi faciles quae nonnisi amarissima demum parere consuevere. Quapropter aperto proponantur quae fides arguit, qualia et quanta sint sacerdotis gravissima ac sublimia officia et munia angelicis humeris quoque formidanda, vocationis vera ac absoluta necessitas. Atque [satius id nemo dixerit] etsi maxime cavendum sit ne alumni a sancto proposito deterreantur, studeatur ne hi plus quam non oportet tanto alliciantur muneri, et ea fortiter aperiantur quae fortasse clerici non ignorant, at sibi vero suaderi [ut plurimum] renuunt. — Praeterea perspicuitati maxime ac brevitati consulatur, nec satius quis se fecisse putet si sempiternas veritates quam penitius quorumcumque animis indiderit iis etiam qui minore intelligentiae acie fruantur. In his autem utile dulci ita misceatur ut meditationem ac multo magis, adhortationem, alumni iam tamquam solatium animi desiderent, non vero tamquam intolerandum onus exhorreant. — Huiusmodi omnia praestare quisquis sibi facile pollicetur, at pauci admodum reapse possunt: non omnium etenim est humanum et iuvenilem praesertim animum penitus nosse, quae indigeant praevidere ac opportune parare, intelligentiam multorum huiusmodi revereri ac suadere simul. Quamobrem quam cautissime exercitiorum concionator eligendus ac advocandus est, nec omnem adire oportet qui magnae eloquentiae et doctrinae laude floreat; quum haud absonum sit huiusmodi oratorem exercitiis tradendis imparem prorsus et ineptum fore. Igitur ne res per-

[1] I Corinth. II, 4.

functorie agatur, opportuno tempore Episcopus vel Rector tum per se, tum per alios inquirat ac magis eos spectet qui doctrina, vitae sanctitate, spiritualium negotiorum ac clericalis praesertim institutionis peritia insignes fuerint. Electum autem probe doceat quae sint Seminario apta et opportuna, ac quo magis fieri potest iuvet ad maius usque alumnorum spirituale bonum et incrementum comparandum.

*b*) De Exercitiorum disciplina haec teneantur. Agendorum ordo, [seu *horarium* quod dicunt], sedulo conficiatur, prae oculis habitis optimis artis puerorum instituendorum principiis, quae graviora negotia levioribus excipi iubent. Quin etiam his in adiunctis strictius vivendi genus paululum relaxetur, ac ea omnia commoda comparentur quibus animus [absque dissipatione tamen] levari et bene esse possit. Hinc v. g. surgendi tempus brevi protrahatur, dormiendi hora citior adveniat, ac etiam in diem brevis concedatur [nunquam autem in lecto] somnus: victus et alimenta si exquisitiora haberi nequeant, augeantur saltem quantitate; hiemati autem tempore rigor aeris opportunioribus rationibus magis ac magis temperetur. — Solatium tamen quod identidem concedi oportet numquam vera relaxatio sit, nam prima exercitatio alumnorum silentio religiosissime servato continetur, atque ex eo magna utilitatis pars dependent. — Ceterum studiorum negotia, epistolarum commercium, accessus ad colloquutorium, egressus e domo omnino auferantur: hoc enim acceptabili tempore nonnisi Dei et animae negotia pertractanda sunt. — Clericis autem in maioribus constitutis, quum exercitiis aut annuis, aut de sacris ordinibus vacant, praescribitur collegialis horarum canonicarum persolutio. *His diebus clerici iam in sacris constituti horas canonicas collegialiter recitent* [1].

*c*) Diuturnitas exercitiorum ex S. Caroli sententia saltem per *integram hebdomadam* [2] protrahenda est; at ex praescripto decreti de quo agimus, *quinque dies saltem non intermissi* [3] sufficiunt. Verum iam non licet post

[1] Decret. S. C. EE. et RR. Par. III Cap. I, § 4, art. 96.

[2] *Institut.*, Par. III. Cap. II.

[3] Par. III, Cap. 1, § 4, art. 96.

hanc latam legem tribus diebus totum negotium concludere nec pro clericis Seminariorum parvorum; idque eo minus si bis per triduum huiusmodi exercitiis vacandum fuerit. Ceterum ex eo quod dicitur saltem palam fit mentem legislatoris nullatenus praepediri si per integram hebdomadam alumni exerceantur, videlicet a vespere unius dominici diei ad matutinas alterius horas, prout ex Borromianis praescriptis in Institutis quae his reguntur fere ubique usu venit.

CLIX. — At vero longe aliam legem esse de exercitiis quae ordinibus suscipiendis praemittenda sunt, docet iam laudatum decretum his verbis: *Statim antequam ad ordinationem procedatur, ordinandi spiritualibus exercitiis vacent decem per dies promovendi ad maiores, quinque per dies ad minores ordines* [1] qua sanctione ea confirmantur quae iam SS. RR. PP. Alexander VIII [2] [pro Alma Urbe], Innocentius XII [3] [pro Italia et insulis adjacentibus] ac Innocentius XIII [4] [pro omnibus clericis] in rem praescripsere. Satis autem constat in exercitiis quae ordinibus suscipiendis praemittuntur multo magis clericos de sua dignoscenda vocatione sollicitos esse oportere, idque maxime si de maioribus ordinibus res sit, quum summa eorum utilitas immo res tota in hoc ipso negotio constituatur. — Quod vero ad rationem attinet qua huiusmodi exercitia sint peragenda sufficiant quae de his exercitationibus in genere tradidimus; illud tamen summopere in hac re curandum est ut hi alumni nullam prorsus cum ceteris consuetudinem foveant. Quapropter satius nemo id moris commendaverit quod in florentissimis viget Seminariis, ut alumni iam ordinibus sacris augendi mittantur vel in diocesanam urbanam exercitiorum domum, vel in Seminarii villam, aut in aliam solitudinem a sodalium prorsus commercio semotam, ubi sibi tantum et Deo vacare possint debeantque. Tanta enim tantique momenti res agitur, ut quidquid ad eam tuendam quis moliatur, numquam tamen eum officii debito plene satisfecisse dici possit.

[1] Par. I. Cap. I. art. 15.
[2] S. C. Conc. et Litt. Encycl. Richer, die IX oct. RR. 1682.
[3] Litter. Encycl. S. C. Concil. die 1 Feb. 1700.
[4] Constitut. *Apostolica Sollicitudo.*

# APPENDIX

## De Confessariis.

Summae rerum. — CLX. De coeteris confessariis praeter Moderatorem spiritus adhibendi. — CLXI. De unitate operae ab omnibus servanda. — CLXII. Qua eligendi sint prudentia. — CLXIII. De confessariis extraordinem assumendis.

CLX — Utut optimus Moderator spiritus in suum munus diligenter incumbat, utut alumnorum fiduciam sibi acquirere noverit, utut etiam optandum sit ab eo uno alumnorum omnium conscientiae moderationem geri, tamen libertas illa qua tirones in hoc negotio frui debent quamque etiam Ecclesia in omnibus qui vitam agunt communem sanctam fore iubet, omnino postulat ut clericis optio detur seligendi inter plures confessarios quem sibi idoneum iudicaverint. Illud autem quod non omnes hucusque sedulo prospexere, iam praesenti EE. et RR. C. decreto firmatum tamquam jus strictissimum est. *Ad alumnorum confessiones recipiendas praeter pietatis Magistrum alii quidem deputabuntur docti piique sacerdotes qui ratione habita gravissimi muneris, atque ducibus probatis auctoribus, poenitentibus adsint consiliaque praebeant in eorum dubiis, obligationem imponentes statum ecclesiasticum relinquendi iis qui ostendant ad eum non vocatos esse* [1]. Iamvero si post recentissimas quasque S. Sedis de re decisiones, quae tamen aperto mentem Ecclesiae prodebant ut cuiusvis conscientiae iura sancta forent, inter theologos dissensio et contentio exagitari potuit, iam nonnisi prompto obsequio et saluberrimae legis exequutioni locus superest.

CLXI. — Ad ea tamen incommoda praecavenda quae ex plurium de una re, ac maxime si spiritualis illa, sollertia

[1] Par. I, Cap. II, § 4, artic. 56.

ac cura afferri consuevere, necessarium est omnino ut confessarii auxiliares consilia cum Moderatore Spiritus ineant ad statuendam unam et communem regiminis rationem, praesertim quod iudicium vocationis spectat, ne quod ab uno statuitur ab altero irritum fiat, neve in eadem consociatione plures de una eademque re opposita omnino invicem iudicia proferant. Quaevis autem sint demum rerum adiuncta illud tamen dubium nemini esse nequit quod si quidam clericus confessarii sui moderationem deserat qui illum ad tempus probandum esse duxerit, antequam ad s. Ordines suscipiendos dimitteret, vel etiam illum ab ecclesiastica vita omnino prohibuerit, ac dein post menses vel annos ad primum redeat moderatorem, huic postremo non tantum ius sed et officium esse de iisdem experimentis aut monitis a clerico huiusmodi sciscitari, etiamsi nullum hisce de rebus ab alumno verbum fiat aut nulla culpa abluenda afferatur quae de vocationis defectu dubium inducat. Nam pristinam quamlibet suspicionem dissolutam iri omnino postulat ius tertii, ius videlicet Ecclesiae.

CLXII. — Nos autem a pluribus recensendis confessariorum dotibus abstinere possumus, ne ea ingeminemus quae de Spiritus Moderatore tradidimus, cuius operae et officii *in foro conscientiae* hi plane participant. Ceterum huiusmodi res opportune in S. C. EE. et RR. decreto comprehenditur ubi confessarii docti ac pii esse iubentur. — Item quibus principiis uti debeant in conscientiae negotiis moderandis ac praesertim in vocatione dignoscenda, nulla differentia fieri potest, atque in omnibus Spiritus Moderatori consentire confessarium oportet. — Horum electio, sicut ceterorum omnium officialium, Episcopi negotium est, qui in clero saeculari aut regulari tales deligat qui scientia ac pietate revera sint perspicui, ac huiusmodi officio gerendo cetero quin idoneos, quod, absque peculiari prorsus peritia de adolescentum ac clericorum praesertim moribus, vix obtineri poterit. — Numerum autem illorum tantum rerum adiuncta docere possunt, prae-

sertim alumnorum numerositas, tempus confessionibus praefinitum, fiducia ipsa quam in Moderatorem referant clerici, qui profecto summa libertate in ea decernenda frui debent. Ut plurimum tamen si v. g. Seminarium centum constet alumnis, bini confessarii praeter Spiritus Moderatorem sufficiunt: immo nec plures advocandi sunt, ne alumni immoderate ex uno ad alterum divagentur atque exinde nullum profectum ferant. Sedulo quidem cavendum est ne alumnorum libertas umquam praepediatur, quum hi fortasse ex optimis rationibus ut confessarium innovent suaderi possint, quas quidem disciplina curiosius inquirere non debet.

CLXIII. — Tandem S. Caroli praeceptum est: *Bis in anno mittatur ad Seminarium confessarius extraordinarius cui clerici omnes confiteantur: ut si qua de causa huiusmodi nonnulli indigeant medicina, occultis animi sui morbis mederi liberius possint. Quare illud etiam caveatur ut qui ordinarius confessor aliquando fuerit ne idem ad eorum confessiones extraordinarie audiendas mittatur nisi secus aliquando Revmo Archiepiscopo expedire visum fuerit iusta de causa*[1] Decretum vero de quo agimus numquam huiusmodi extraordinarios confessarios aperto commemorat; at quum prohibet ne Moderatores aut Magistri a confessionibus ordinario more sint, iam satis eos innuere videtur qui extra ordinem hoc munus exerceant; eo vel magis quod alia nuperrime edita S. Sedis decreta id officio referant. — Hanc vero extraordinariorum confessariorum opportunitatem maxime exercitiorum tempore alumnis exhibere iuverit, aut etiam quum praecipuae festorum solemnitates occurrerint celebrandae; quare nec illa posthabeatur prudens norma religiosae foeminae ex SS. Canonum auctoritate obligantur ut ad confessarium extraordinarium omnibus quatuor anni temporibus accedant; id enim et in Seminariis optimos fructus parere solet. In his vero omnibus rerum adiunctis confessarii ordinarii liberrimam omnino alumnis optionem accedendi dimittant oportet, ac etiam opportuniore qua fieri poterit rationem extraordinariorum confessariorum operam iuvent.

[1] *Institut.* Par. II, Cap. 4.

Porro Moderator Spiritus Confessariique quotquot sunt omnes *pro viribus contendant ut clerici eum finem qui expectatur assequantur et qui eorum fidei commissi sunt, eos e Seminario fructus percipiant, quos Ecclesia sancta ac Tridentinum Concilium sibi proposuere*[1], i. e. altaribus sanctis dignos ministros comparare qui Dominico gregi fideles pastores sint, Ecclesiae sanctae splendori et ornamento, orbi universo, sal et lux in Christo.

[1] S. Carolus Borrom., ibid. Par. II. Cap. I.

# CONCLUSIO

Hoc qualecumque Commentarium nostrum tandem absolventes, in quo ea innuimus potiusquam pertractavimus quae ceteris scriptis nostris magis ac magis evolvimus [1] vota enixe nuncupamus ut sapientissima S. C. EE. et RR. praecepta [non sine quadam peculiari Dei Providentia statuta], quam religiosissime observentur non tantum a Seminarii italicis quibus ea officio strictissimo sunt, sed etiam a ceterarum omnium gentium Sacris Institutis quibus tanquam absolutissima norma praelucent ad clericos sancte instituendos. Omnium enim ac pergravissimum idem munus et officium est, tantum eo conniti ut populo Dei veri nominis sacerdotes comparentur, quod quidem iisdem fere ubique negotiis ac difficultatibus obnoxium est.

Enimvero prout illa tantum Republica florescere ac vigere dicimus in qua leges optimae non modo sunt latae, sed etiam religiose ab omnibus observantur [quum quidquid optimum consulant legislatores utilitate vacuum maneat si sedulae exequutioni non demandetur], ita etiam non ea tantum Seminaria felicia sunt praedicanda quibus pretiosissima huiusmodi S. Sedes prospexit, sed quae ex iis proficere summopere nitantur, quum per haec tantummodo revera felicioris aetatis auspicium duci possit, atque Sanctissimo Domino Nostro Pio X gaudium comparari praecipuum. Quod si feliciter cedat [nec est cur de re dubitemus] gratulabuntur quamprimum omnes optatissimae diei auroram in qua obedientiae virtute cuncta ubicumque in Sanctis moderante, novae Jerusalem ac civitati Sanctae Dei sanctissimae filia pacis laetitia dominabitur. Faxit Deus!

Laus Deo et Deiparae.

[1] Cfr. *Elementi di Pedagogia Ecclesiastica* op. in quinque volum. distribut.; *De Regimine Ecclesiastico, religioso et seminaristico* 2 vol.; *De Constitut. et Regimine Seminariorum clericalium*, ecc.

# INDEX

PRAEFATIO . . . . . *Pag.* v

PROLEGOMENA HISTORICA:

SUMMAE RERUM. — I. Ecclesiam numquam clericorum institutioni defecisse. — II. Pii IV in sacra Seminaria studia. — III. Pii V ad rem instituta. — IV. Gregorius XIII clericalis institutionis instaurator et Pater. — V. Syxti V benemerentiae. — VI. Clementis VIII constitutiones. — VII. Paulus V et s. Seminaria. — VIII. Quanta Urbanus VIII condiderit. — IX. Innocentii X liberalitas in s. Seminaria. — X. Innocentii XI Academia Ecclesiastica. — XI. Quae scripserit gesserit Clemens XI in Seminariorum bonum. — XII. Benedicti XIII consilia et opera. — XIII. Quorum Clemens XII auctor fuerit. — XIV. Benedicti XIV de Seminariis encyclicae. — XV. Pius VI Seminariorum defensor. — XVI. Pius VII ecclesiasticorum Institutorum restitutor. — XVII. Leo XII operam Praedecessoris sui complet. — XVIII. Pii IX paternae curae de Seminariis. — XIX. Leonis XIII in rem studia nobilissima. — XX. Pii X de clericali institutione merita amplissima recensentur. — XXI. Huius normae notae singulares. — XXII. De ceteris disciplinae normis hucusque usitatis. — XXIII. Conclusio . . . . *Pag.* 1

DE CLERICORUM SPIRITUALI INSTITUTIONE - INTRODUCTIO . . . . . *Pag.* 15

Sectio I - DE CLERICORUM SPIRITUALI INSTITUTIONE GENERATIM . . . . . *Pag.* 18

Cap. I - De clericorum institutione spirituali indirecta et impersonali - *Prooemium.* . . . . . *Pag.* 18

Articulus I.

DE DISCIPLINA PRAECAVENDI.

§ I. — Quanti facienda sit tironum susceptio.

SUMMAE RERUM. — XXIV. De huius rei momento. — XXV. Quaenam sint in cauta susceptione praestanda. — XXVI. Quot alumnos Seminarium ut plurimum ferat . . . . . *Pag.* 19

### § II. — Institutionis proprius locus est Seminarium.

Summae rerum. — XXVII. Recta clericorum institutio in Sacris Seminariis tantum, ut plurimum, perficitur. — XXVIII. Quaenam exceptiones huic regulae fieri possunt. — XXIX. Antiqua et nova ad rem disciplina. — XXX. Quanto tempore in Seminario clericos degere expediat . . . . . *Pag.* 22

### § III. — De Clericis extradioecesanis.

Summae rerum. — XXXI. An clerici extra sui seu diocesani Seminarii septa unquam institui possint. — XXXII. Quae ad rem praeceperit S. D. N. Pius X. — XXXIII. Norma est ut exceptiones nonnisi parcissime concedantur. — XXXIV. Qua ratione exceptio concedenda sit: ubi S. C. C. decret. de incardinatione et excardinatione per partes exponitur . . . . . *Pag.* 26

### § IV. — De candidatorum intentione sese Deo in perpetuum mancipandi.

Summae rerum. — XXXV. Quanti sit facienda et quae sit haec intentio. — XXXVI. De alumnis qui hac intentione non polleant [seu de externis] aut nullatenus, aut quam cautissime cum clericis simul instituendis . . . . . *Pag.* 32

### § V. — De eorum aetate.

Summae rerum. — XXXVII. Quaenam requiratur ex lege Tridentina. — XXXVIII. Legis tridentinae varia interpretatio. — XXXIX. De aetatis excessu . . . . . *Pag.* 35

## Articulus II.

### DE DISCIPLINA ADVIGILANDI.

Prooemium . . . . . *Pag.* 39

### § I. — Documenta communia.

Summae rerum. — XL. Alumnorum distinctio in Seminaria *magna* et *parva*. — XLI. Contubernium cuilibet a ceteris seiungatur. — XLII. De disciplina; *a*) De advigilandi ratione; *b*) De aemulationis spiritu excitando; *c*) De silentio curando; *d*) De horario statuendo; *e*) De disciplinae amore in clericis fovendo; *f*) De animorum relexationibus; *g*) De urbanitate excolenda; *h*) De

regulis. — XLIII. De spiritu sacerdotali excolendo in instructione et de libris. — XLIV. De rei familiaris commoditate curanda. — XLV. De hygienicis praeceptis observandis. *Pag.* 39

§ II. — De advigilanda alumnorum ratione se gerendi in Deum et homines.

Summae rerum. — XLVI. Quaenam alumnorum officia sint generatim. — XLVII. Quaenam in Deum. — XLVIII. Quaenam in Moderatores. — XLIX. Quaenam in sodales. — L. Quaenam in famulos. — LI. Quaenam in seipsos. — LII. De eorum officio Superiores commonefaciendi . . . . . *Pag.* 50

§ III. — De alumnorum cum ceteris qui extra Seminarium sunt negotiis advigilandis.

Summae rerum. — LIII. Quaenam sint externa haec negotia generatim. — LIV. Accessus ad colloquutorium. — LV. Visitationes eorum qui extra Seminarium degunt. — LVI. De deambulationis tempore. — LVII. Scholas adire externas. — LVIII. Scholas Seminarii externis alumnis petere. — LIX. Studium rei catholicae provehendae. — LX. Epistolare commercium. — LXI. Ephemeridum lectio . . . . . *Pag.* 55

§ IV. — Quae autumnalium feriarum tempore per disciplinam sint cavenda.

Summae rerum. — LXII. An alumnis concedendum sit ut huiusmodi feriarum tempus apud suos agant et quantum. — LXIII. Quae his in adjunctis disciplinae munia et subsidia sint . *Pag.* 61

§ V. — Quanti sit facienda in Sacris Seminariis disciplinae observantia, deque Episcopi cura in Sacrum Institutum.

Summae rerum. — LXIV. Advigilantis disciplinae utilitas. — LXV. In Seminariis praesertim. — LXVI. Disciplina Seminariorum sacra sit oportet. — LXVII. Episcoporum de hac re cura. — LXVIII. Quibus limitibus obnoxia quantaque fruatur libertate. *Pag.* 66

## Articulus III.

### De disciplina coercendi.

### § I. — Correctionis normae ac principia.

Summae rerum. — LXIX. Coercentis disciplinae utilitas. — LXX. De Iustitia. — LXXI. De discretione. — LXXII. De charitate et de malae coercitionis damnis . . . . . *Pag.* 73

### § II. — Quae potissimum in clericorum coercitionis praxi sint servanda.

Summae rerum. — LXXIII. Alumnorum coercitionis necessitas. — LXXIV. De admonitione mutua. — LXXV. Ordo in delictis inquirendis et in iisdem puniendis . . . . . *Pag.* 77

### § III. — De Clericis dimittendis.

Summae rerum. — LXXVI. Quanti negotium sit clericorum sapiens dimissio. — LXXVII. Qui dimittendi sint. — LXXVIII. Dimissionis causae singillatim expenduntur. — LXXIX. Missio opportune facienda est. — LXXX. Cautelae adhibendae praecipuae. *Pag.* 80

Cap. II - De institutione spirituali clericorum indirecta et personali - *Prooemium* . . . . . *Pag.* 86

## Articulus I.

### De Moderatoribus ac Officialibus.

### § I. — De Moderatoribus in genere.

Summae rerum. — LXXXI. Ad quid assumantur. — LXXXII. Quomodo sint assumendi. — LXXXIII. Quid in illis requiratur. — LXXXIV. Quo studio advigilandi sint. — LXXXV. Qua ratione moderandi. — LXXXVI. De eorum consilio exquirendo. *Pag.* 86

### § 2. — De Moderatoribus et Officialibus in specie.

Summae rerum. — LXXXVII. Quae in Rectore requirantur. — LXXXVIII. Quibus illius vicarius praestare debeat. — LXXXIX. Praefecti studiorum munus qua ratione gerendum. — XC. Rei familiari Praefectus qualis esse debeat. — XCI. De Magistris ac

praeceptoribus. — XCII. De contuberniis praefectis. — XCIII. De Famulis. — XCIV. Quid de sororum servitio statuendum sit. — XCV. De ceteris externis officialibus . . . . *Pag.* 92

§ III. — De ratione agendi a Moderatoribus servanda.

Summae rerum.— XCVI. Virtutum exemplaria fieri debent.— XCVII. Finem spiritualem in Seminario peropportune in omnibus provehere. — XCVIII. Idque cum discretione ac prudentia. *Pag.* 103

Sectio II - De spirituali institutione in se - *Prooemium* . . . . . *Pag.* 107

Cap. I - De spiritus Moderatoris munere.

Articulus Unicus.

De huiusmodi muneris subiecto.

Prooemium . . . . . *Pag.* 107

§ 1. — De huius muneris necessitate.

De necessitate proprii pietatis Magistri.

Summae rerum. — XCIX. Rector conscientias alumnorum moderari nequit. — C. Sed neque ceteri Moderatores. — CI. Ordinarius confessor a Moderatore spiritus alius sit oportet. — CII. Conclusio practica . . . . . *Pag.* 108

§ II. — Quaenam in Spiritus clericorum Moderatore requirantur.

Summae rerum. — CIII. Aetas et gravitas; probitas et libertas: rerum spiritualium peritia . . . . . *Pag.* 111

Cap. II - Qua ratione huiusmodi munus gerendum sit - *Prooemium*. . . . . *Pag.* 113

Articulus I.

De privata moderatoris spiritus opera.

Prooemium . . . . . *Pag.* 113

## § I. — Communia de hac opera.

Summae rerum. — CIV. Quae sint. — CV. A quonam praestanda — CVI. Qua sedulitate. — CVII. Qua frequentia. — CVIII. Qua libertate . . . . . *Pag.* 114

## § II. — De privata Moderatoris spiritus opera singillatim.

Summae rerum. CIX. De humanitate. — CX. De pacis ac concordiae studio — CXI. De solidis virtutibus excolendis. — CXII. Quaenam media ad hoc praecipua sint suadenda. — CXIII. De apostolico spiritu fovendo. — CXIV. De alumnorum animis inspiciendis. *Pag.* 116

## § III. — De vocatione sacerdotali discutienda.

Summae rerum. — CXV. De negotio vocationis fortiter agendo. — CXVI. De probatione castitatis candidatorum. — CXVII. De suffragio Moderatoris spiritus. — CXVIII. Qua norma moderator regi debet in hoc negotio . . . . . *Pag.* 121

## § IV. — De admissione ad Sacros Ordines.

Summae rerum. — CXIX. Dicendi ratio. — CXX. Momentum ac necessitas vocationis. — CXXI. Normae canonicae. — CXXII. Conclusio . . . . . *Pag.* 127

# Articulus II.

## De publica moderatoris spiritus opera.

Prooemium . . . . . *Pag.* 131

## § I. — De pia adhortatione ad clericorum mores confirmandos.

Summae rerum. — CXXIII. A quonam sit habenda pia adhortatio ad clericorum mores confirmandos. — CXXIV. Quomodo habenda. — CXXV. De alumnorum concionibus . . *Pag.* 131

## § II. — De moderandis pietatis et religionis exercitationibus.

Summae rerum. — CXXVI. Quid in rem praescriptum sit. — CXXVII. Quid per Moderatorem praestandum sit . . . *Pag.* 135

§ III. — De his quae religionis exercitationes comitari solent.

Summae rerum. — CXXVIII. Conditiones illarum recensentur. — CXXIX. De ratione qua sint peragenda. — CXXX. De earum frequentia quoad locum, tempus et modum. — CXXXI. Quousque producendae. — CXXXII. Quomodo advigilandae . *Pag.* 137

Articulus III.

De religionis ac pietatis exercitationibus singulis.

Prooemium . . . . . *Pag.* 140

§ I. — De quotidianis exercitationibus.

Summae rerum. — CXXXIII. Quaenam sint. — CXXXIV. Meditatio. CXXXV. — Missae auditio. — CXXXVI. Pia lectio spiritualis. — CXXXVII. Rosarium. — CXXXVIII. Conscientiae discussio. — CXXXIX. SS. Sacramenti visitationes. — CXL. Orationes matutinae et vespertinae . . . . . *Pag.* 140

§. II. — De pietatis exercitationibus in hebdomada.

Summae rerum. — CXLI. Servitium Ecclesiae Cathedralis. — CLXII. De exercitationibus liturgicis. — CXLIII. Adhortatio spiritualis. — CLXIV. Peccatorum confessio. — CLXV. Quoties et quomodo facienda.— CLXVI. An et quomodo negotium hoc advigilandum sit. CXLVII. De confessione Institutorum ac famulorum.—CXLVIII. De S. Eucharistiae sumptione. — CXLIX. Quomodo ad hanc accedendum. — CL. De huius rei per disciplinam vigilantiam. *Pag.* 144

§ III. — De religionis exercitationibus per mensem.

Summae rerum. — CLI. Quae sint. — CLII. De sexta feria in honorem SSmi Cordis Jesu. — CLIII. De recollectione menstrua. *Pag.* 154

§ IV. — Religionis exercitationes annuae.

Sommae rerum. — CLIV. Novendiales aut triduanae supplicationes. — CLV. Mensis Marialis. — CLVI. Mensis Iunius in honorem

SSmi Cordis Jesu. — CLVII. Exercitiorum spiritualium recessus. — CLVIII. Qua ratione peragendus. — CLIX. De exercitiis ad ordinationem praemittendis . . . . . *Pag.* 156

## APPENDIX

### De Confessariis.

Summae rerum. — CLX. De coeteris confessariis praeter Moderatorem spiritus adhibendi. — CLXI. De unitate operae ab omnibus servanda. — CLXII. Qua eligendi sint prudentia. — CLXIII. De confessariis extraordinem assumendis . . . *Pag.* 163

Conclusio . . . . . „ 167

26500